MASTER NEGATIVE
NO. 93-81265-16

AUTHOR:

SELLNER, WILHELM

TITLE:

DE EURIPIDIS STHENEBOEA...

PLACE:

IENAE

DATE:

1910

Master Negative #

93-81265-16

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88ED
Z9

Sellner, Wilhelm, 1885-
De Euripidis Sthenoboea quaestiones selectae. Dissertatio philologica qvam scripsit ... Gvilelmvs Sellner ... Ienae, typis G. Nevenhahni, 1910.
91 p. 24 cm.

Thesis, Jena, 1910.
Volume of pamphlets

380906

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35MM REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-7-93 INITIALS BF
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

DE EURIPIDIS STHENEBOEA QUAESTIONES SELECTAE

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

GVILELMVS SELLNER

GESTVNGSHAVSENSIS

IENAE

TYPIS G. NEVENHAHNI

MCMX

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Hirzel.

Jena, den 27. Juli 1910.

Professor Dr. **Edler**,
d. Z. Dekan.

PARENTIBVS · CARISSIMIS

SACRVM

CONSPECTUS CAPITUM:

Corrigenda:

p. 58, annot. 6 legas: Programm, Tübingen.

Nil tam difficilest, quin quaerendo investigari possiet.
(Ter. Heaut. Tim. v. 675).

Goethe noster, qui ad illustrissima veteris aevi monumenta melius intellegenda multum attulit et praecipue de reliquiis Euripidis fabulae Phaethontis colligendis et componendis bene meritus est, has reliquias quondam prosecutus est hisce verbis, quae afferre mihi liceat [1]:

„Möge die Folgezeit noch einiges von dem höchst Wünschenswerten entdecken und die Lücken authentisch ausfüllen! Ich wünsche Glück denen, die es erleben und ihre Augen, auch hierdurch angeregt, nach dem Altertum wenden, wo ganz allein für die höhere Menschheit und Menschlichkeit reine Bildung zu hoffen und zu erwarten ist".

Qua in re Goethium non vanum atque irritum vatem fuisse eiusque optatis fortunam respondisse, nuper cognitum est, quoniam de Euripidis Stheneboea fabula illa verba optime evenerunt. Iam enim satis amplae reliquiae et fabulae ipsius et ad hanc fabulam pertinentes summa cum omnium laetitia in lucem sunt prolatae et leguntur hae in diaconi et logothetae Johannis commentario ad Hermogenis *περὶ μεθόδου δεινότητος* scriptum, cuius partem Hugo Rabe de Hermogenis codice iam prius bene meritus in bibliotheca Vaticana invenit nuperque in Mus. Rhen. vol. LXIII (1908) p. 147 nobis obtulit. Quo invento statim omnium virorum doctorum studium excitari non mirum esse videatur, praesertim cum iam pridem tanti viri docti, quanti de tragicis poëtis melius illustrandis et intellegendis bene meriti sunt quantisque nemo alius fere umquam in hac re adiungi potest, de hac Euripidis fabula quaestiones posuerint; Valckenaerium dico et F. G. Welckerum, quorum hic

1) Goethe: opera vol. 39, p. 20

n opere praestantissimo, quod inscribitur: Die griechischen Tragödien mit Rücksicht auf den epischen Cyclus geordnet, Bonn 1841, vol. II p. 77 sqq. penitus in argumentum dramatis inveniendum insinuans notitiam fabulae accuratiorem reddidit, ille in libro, qui audit: Diatribe in Euripidis perditorum dramatum reliquias Lips. 1824, p. 205 sqq. fabulae restaurandae fundamenta posuit. Cui praeterea ignoti sint viri perinde clarissimi Hartung (Euripides restitutus sive scriptorum Euripidis ingeniique censura, Hamburg, 1843, vol. I p. 78 sqq.) et Wecklein (Ueber fragmentarisch erhaltene Tragödien des Euripides — Sitzungsberichte d. kgl. bayr. Akad. d. Wissensch. z. München 1888, vol. I p. 100 sqq.), qui illorum doctorum vestigiis ingressi rem sane multo auxerunt, quamquam materiam non totam complexi sunt, ut posthac nonnulla addere posset vir egregius R. Engelmann (Archäologische Studien zu den Tragikern, Berlin 1900, p. 84 sqq.)? Sed iis, quae Rabe invenit, haec studia in longe aliam viam deflectunt. Atque primus Udalricus de Wilamowitz-Moellendorff Rabii invento nixus de Stheneboea quaestiones tam acri ingenio revocavit in commentatione de Euripidis Stheneboea scripta (Classical philology 1908, vol. III p. 225 sqq.), ut supervacaneae operae et ambitiosae temeritatis esse videatur praecedente viro illustrissimo in eandem rem inquirere. Quodsi equidem nihilo setius hac dissertatione easdem quaestiones de dramate Stheneboea sum instituturus, eo factum est, quod, priusquam Wilamowitzii commentatio mihi ad manus fuit, ab Erico Bethe Lipsiensi, viro doctissimo atque de me optime merito, adductus compluria de Stheneboea eram expertus et iam perlecta Wilamowitzii disputatione a Rudolpho Hirzel Jenensi, viro doctrina excellentissimo, summa benignitate adiutus nonnullis in rebus, quae quidem attinent ad dramatis prooemium et partium eius distributionem, ad dramatis nomen et aetatem aliquo iure cum Wilamowitzio me disceptare puto. Quamquam certe scio his in quaestionibus tractandis tantum abesse, ut omnes difficultates obstantes auferam, ut satis habeam sperare me illis, quae viri docti adhuc indagarunt, firmiora quasi columina substructurum atque huic vel illi difficultati sublevandae operam esse navaturum. — His expositis satis rationem a me redditam esse sentio, quibus causis essem commotus, huius commentationis componendae ut consilium inirem. Restat iam

vero, ut quaestionum, quas sum tractaturus, ordinem paucis instituam. Quae enim disputabo: I. De dramatis nomine, II. De dramate restituendo, III. De ratione, quae intercedat inter Stheneboeam et Bellerophontem Euripidis, IV. De dramatis Stheneboeae tempore, ea quattuor capitibus absolventur in singulas partes dispertitis, si quaedam suo quaeque loco exponenda breviorem descriptionem postulare videbuntur vel minus arte cum ceteris rebus coniuncta, attamen ad res melius intellegendas necessaria interponi opus erunt.

En habes, qui benevolentissime legas, de quaestionibus disponendis quid sentiam! Et satis latus nunc patet campus pervestigandi.

I. De fabulae appellatione.

Ac primum quidem videamus, quid censendum sit de tragoediae nomine Stheneboeae, quod idem est ac nomen uxoris Proeti, regis Argivorum.

Proeti uxor primum commemoratur ab Homero Z 160: *τῷ* (sc. *Βελλεροφόντῃ*) *δὲ γυνὴ Προίτου ἐπεμήνατο, δῖ' Ἄντεια, κρυπταδίῃ φιλότητι μιγήμεναι* . . . .

Ad *Ἄντεια* autem scripsit schol. A. B.: *ἡ διπλῆ, ὅτι Ὅμηρος Ἄντειαν, οἱ δὲ νεώτεροι Σθενέβοιαν.* Ex scholiastae verbis elucet Antiam et Stheneboeam esse unam eandemque mulierem et Antiae nomine scholiasta iudice solum Homerum usum esse. Quare reliquum est, ut tantummodo sciscitemur, quosnam auctores scholiasta *νεωτέρους* appellet, hoc autem intellegimus ex his Apollodori verbis (II 2, 3 ed. Wagner): *ὁ δ'* (sc. *Προῖτος*) *ἧκεν εἰς Λυκίαν πρὸς Ἰοβάτην, ὡς δέ τινές φασιν, πρὸς Ἀμφιάνακτα· καὶ γαμεῖ τὴν τούτου θυγατέρα, ὡς μὲν Ὅμηρος Ἄντειαν, ὡς δὲ οἱ τραγικοί, Σθενέβοιαν.*

Putat igitur Apollodorus tragicos nomen Stheneboeae usurpasse, et si quis quaerit, quid sibi velit verbum *τραγικοί*, nobis sine ulla dubitatione confirmandum est, *τραγικούς* ab

Apollodoro generatim simpliciterque appellari Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, illos tragicos *κατ' ἐξοχήν* [1]).

Rectissime — quantum nos iudicare possumus — coniecit Engelmann [2]), Aeschylum hanc Stheneboeae fabulam omnino non tractasse expromens ea verba, quae Aristophanes Aeschylum contra Euripidem dicentem facit ran. v. 1043:

ἀλλ' οὐ μὰ Δί' οὐ Φαίδρας ἐποίουν πόρνας οὐδὲ Σθενεβοίας.

Sed quod idem vir doctus loco allato affirmavit etiam Sophoclem in Jobate, quippe quae fabula in Lycia ageretur, non habuisse, quod Stheneboeae mentionem faceret, vel, etiamsi Proeti uxorem in illo dramate agentem fecisset, non, quod nomen Antiae mutaret, hac in re mihi videtur audacissime collegisse. Nimirum si exploratum haberemus id quod Nauck [3]) opinatus est, huc fortasse pertinere, quae produntur in schol. Z 155 A. B., hac difficultate supersederemus, quia inde intellegimus Proeti uxorem, etsi partes egisse negari debet, tamen commemoratam esse, neque vero eius nomen Stheneboeam sed Antiam fuisse. Sed quod Nauckii opinio nullis aliis rebus firmari potest, etiam ea, quae inde colliguntur, nimis incerta sunt; parum praeterea ex dramatis fragmentis scimus, quam ut de personis eius certum quidquam dicere possimus, quare hanc quaestionem mittamus necesse est. Pariter suspicio mihi innata est de altera Engelmanni sententia ex eo, quod Euripides Proeti uxori nomen Stheneboeam dedisset, satis elucere poëtam non Jobatis, Lyciae i. e. barbarici regis filiam, quae Antia appellaretur, sed Aphidantis, Arcadiae i. e. Graeci regis filiam, cuius nomen Stheneboeam fuisse Apollodorus (III 9, 1) traderet, in scaenam induxisse. Huius sententiae stabiliendae rationum, quas Engelmann protulit, unam infra (p. 33 sq.) reiciemus, quod alteram attinet ex Bellerophontis Lyciae regiones a c c u r a t e describente narratione [4]), cuius pars est fragmentum 669, manifestum esse Bellerophontem non

1) Similem in modum etiam Plato, ubi Homeri locos affert, plerumque pro Homeri nomine verbo *ποιητής* utitur.

2) Engelmann: Archäol. Studien zu den Tragikern, p. 86.

3) Nauck: T G F² p. 194 sq.

4) Bellerophontem P r o e t i u x o r i ea, quae in Lycia fecisset, narrasse docet Pompeiana pictura (cf. Engelmann: Bellerofonte e Pegaso, Annali dell' Instituto di Corrispondenza archeologica 1874, p. 32 sq.)

cum Lyciae regis filia loqui, huic argumento opponam ipsa illa Bellerophontis narratione contrarium probari. Nam in illa scaena, ubi haec Bellerophontes Stheneboeae narrat, hanc, ut se in Lyciam sequi avida sit, persuadere studet (cf. p. 59). Quod ut assequatur, id potissimum operam dare debet, ut mulieris amorem patriae excitet et inflammet; hoc autem non melius et citius facere posse Bellerophontem quam describendo patriae regiones, quae ei ipsi notissimae sunt, vix infitiandum sit [1]).

Huc accedit, quod in Euripidis dramate tot Tirynthis regi cum Jobate, Lyciae rege, rationes intercedunt, ut non opiner poëtam pro Jobatis filia Aphidantis filiam induxisse. Denique nobis putandum est ab Euripide certe non tam nefariam Stheneboeae personam in scaena tractatam esse, nisi haec fuisset advena [2]). Quae cum ita sint, numquid illis Apollodori verbis acquiescamus arbitrati tragicos fortasse ex libidine nomen de quo agimus mutasse [3]), vel quod fortasse eo quidquam personae cuiusdam proprium significare voluerint, siquidem vicissim etymologiae cuiusdam quaerendae lusu numquam abstinuisse videntur tragici [4]), vel quod veriti sint, quae maxime apud tragicos in verbis est sublimitas, quodque in personis decus

1) Bellerophontes igitur exempli gratia idem fere fecit atque Archibaldus Douglas in Theodori Fontanii cognomini carmine, qui Jacobi regis memoriam suavitatis praeteritorum temporum evocans hunc permovet, ut secum in patriam redeat.

2) cf. E. Schwartz: Charakterköpfe aus der antiken Literatur I³ Leipzig 1910, p. 39.

3) Hoc Euripidem fecisse testatur Euripidis fabula Archelaus; cum enim poëta apud Archelaum, Macedoniae regem, Pellae esset et hunc in dramate aliquo veneratione prosequi vellet, Temeni mytho usus pro Temeni nomine Archelai nomen posuit (cf. N. Wecklein: Ueber die Stoffe und die Wirkung der griechischen Tragödie — Festrede, geh. in der öffentl. Sitzung d. kgl. bayr. Akademie der Wissenschaften z. München 1891, p. 4).

4) Ita exempli gratia Zethi nomen derivatur a verbo *ζητεῖν*, Eur. fr. 181; Andromacha suum nomen habet, quia *ἀνδρὶ μάχεται*, Eur. fr. 1094; de Meleagri nomine dicit Eur. fr. 517: *μελέαν γάρ ποτ' ἀγρεύεις ἄγραν*, (cf. H. van de Sande Bakhuyzen: De parodia in comoediis Aristophanis, Traiecti ad Rhenum 1877, p. 195). Vide potissimum E. Pflugkii annotationem ad v. 9 Eur. Helen., cuius alteram editionem curavit Reinholdus Klotz (Gothae et Erfordiae 1859), invenis enim non solum eos locos allatos, ubi viri docti hanc rem tractaverunt, sed etiam Romanorum scriptores congestos, qui etymologiae artificio utebantur.

fortasse iis iam tragicorum temporibus infamis meretricis nomen [1]) Proeti uxori dare? Mihi potius omnino aliter res sese habere videtur. Nam mea quidem sententia Apollodori verba *ὡς δὲ οἱ τραγικοὶ Σθενέβοιαν* non nimis premenda sunt. Potuit enim iam multo ante Euripidem in epico quodam carmine vel alio veteris cuiusdam poëtae loco, quem tragici sunt secuti, nomen Stheneboeae pro Antia positum esse [2]), quod carmen Apollodori aetate iniquitate temporis noniam exstabat, quamobrem hic apud tragicos hoc nomen Stheneboeae primum vidit, et ab his mutatum esse censuit. Quoniam et nos quidem nescimus, quis primus ille fuerit, qui Proeti uxorem et Jobatis filiam Stheneboeam appellaverit, etiam hanc quaestionem in praesenti ad finem perducere nequimus [3]).

Videamus iam vero, num in Stheneboeae nomine enodando laborantes feliciores simus.

Nec defuerunt viri docti, qui hanc quaestionem examinandam susciperent. Postquam O. Gruppe [4]) primus, quantum video, arbitratus est Stheneboeae nomen cohaerere cum Jovis nomine, qui Argi cognominabatur *Σθένιος*, in eandem suspicionem incidit Wilamowitz [5]). Neque vero haec enodatio penitus in ipsam rem paene intimam pervenit; interpretatur enim priorem solam verbi partem, alteram autem et graviorem, ni fallor, prorsus neglegit. Priusquam autem nosmet ipsi ad huius verbi, de quo agimus, transeamus enodationem, longius repetamus necesse est.

Inter plerosque viros doctos constat apud omnes fere gentes, quas hodie novicio nomine Indogermanos complecti solent, nuptias ita conciliatas esse, ut sponsus sponsam ab eius parentibus mercaretur [6]). Huius rei exempla viri docti per-

1) cf. Dem. 59, 19.

2) cf. quae monebo p. 13 et p. 25.

3) Quod tertiam nominis diversitatem attinet, quam invenimus apud Servium ecl. 6, 48, ubi Proeti uxor Antiopa appellatur, haec siquidem respicimus quam aptissime cohaereant cum mythicis hominibus ea, quae in rerum natura posita sint, inde vel potissimum intellegi potest, quod saepius luna et Antia et Antiopa appellatur, cf. O. Gruppe: Griech. Mythol. vol. II p. 938 et annot. 3.

4) O. Gruppe: Berliner philolog. Wochenschrift, vol. 25 p. 386).

5) Wilamowitz: Classical philology p. 230.

6) cf. Daremberg: Dictionnaire vol. III, 2 p. 1640; Schrader: Reallexikon der indogerm. Altertumskunde, p. 109 s. v. „Brautkauf".

multa iam congerentes etiam de hoc apud Graecos more egerunt et statuerunt apud veteres Graecos pariter atque apud alias Indogermanorum gentes matrimonium in eo constitisse, ut sponsa emeretur. Quamquam E. Hermann in optima sua commentatione, quae inscribitur: Zur Geschichte des Brautkaufes bei den indogermanischen Völkern (Wissenschaftl. Beilage zum XXI. Progr. (1903—1904) der Hansa-Schule zu Bergedorf bei Hamburg), p. 15 de Aristotelis verbis (*Πολιτικά* B. 8, 12=1268 b, ed. 3 Susemihl p. 54): *τοὺς γὰρ ἀρχαίους νόμους λίαν ἁπλοῦς εἶναι καὶ βαρβαρικούς. ἐσιδηροφοροῦντό τε γὰρ οἱ Ἕλληνες, καὶ τὰς γυναῖκας ἐωνοῦντο παρ' ἀλλήλων*, num Stagirites ex Homeri carminibus hanc sententiam sumpserit, iure quodam haesitat, tamen nulla dubitatio mea quidem sententia interponi debet Homeri versibus *Λ* 241 sqq. [1]):

ὣς ὁ μὲν αὖθι πεσὼν κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον,
οἰκτρός, ἀπὸ μνηστῆς ἀλόχου ἀστοῖσιν ἀρήγων,
κουριδίης, ἧς οὔ τι χάριν ἴδε, πολλὰ δ' ἔδωκεν·
πρῶθ' ἑκατὸν βοῦς δῶκεν, ἔπειτα δὲ χίλι' ὑπέστη,
αἶγας ὁμοῦ καὶ ὄις, τά οἱ ἄσπετα ποιμαίνοντο.

o 367:

τὴν μὲν ἔπειτα Σάμηνδε δόσαν καὶ μυρί' ἕλοντο.

Atque illis versibus docemur munera, quibus uxor accepta sit, boves [2]) fuisse, quod idem testantur verba *ἀλφεσίβοιαι παρθένοι* Il *Σ* 593, quibus sponsae significantur.

Sed alia potissimum res nobis Homeri carmina perscrutantibus habentibusque nuptiarum rationem notatu digna esse videtur. Ex compluribus enim locis satis apparet patri sponsae munus a sponso datum esse, totidem fere aliis autem narratur,

1) cf. O. Schrader: Sprachvergleichung und Urgeschichte [2], Jena 1890, p. 550. Nimirum E. Hermann in dissertatione, quam supra commemoravimus, p. 14 putat hos Homeri versus non de Graecorum sed Thracum consuetudine intellegendos esse, quia hoc loco (cf. v. 221 sqq.) narratur Iphidamantem, Antenoris filium, apud avunculum in Thracia educatum huius filiam in matrimonium duxisse. Sed equidem in hac sententia offendam ea de causa, quam ipse vir doctus affert, nobis non licitum esse ex Homero argumenta capere, qui de exterarum nationum moribus aliquid statuere velimus.

2) Praeter boves et alia munera interdum data esse persuasum habeo atque ea secundum eas res, quibus quisque copiosus et ornatus erat; quae diversa munera apud Homerum uno nomine *ἕεδνα* comprehenduntur.

sponsam ipsam ἔεδνα accepisse [1]). Huc accedunt veterum doctorum testimonia: Hesych. s. v. ἕδνα dicit: φερτή, τὰ ὑπὸ τῶν μνηστήρων ταῖς μνηστευομέναις διδόμενα et ad Hom. Π 178 schol. annotat: ὅτι ἕδνα τὰ ὑπὸ τῶν γαμούντων διδόμενα ταῖς γαμουμέναις. Neque profecto in aliam rem etiam verba ἀλφεσίβοιαι παρθένοι, quae supra iam in examen vocavimus, cadere persuasum habeo. Quorum verborum una potissimum vulgo circumfertur explicatio i. e. virgines, quae *parentibus* boves pariunt; quae explicatio, unde profluxerit, satis apparet ex eo quem supra commemoravimus more, saepissime sponsum patri sponsae munera dedisse. Sed nonne alia horum verborum interpretatio ex genuina verbi ἀλφάνω notione melius elici potest, ita ut haec verba sic vertamus: virgines, quae *sibi ipsis* boves matrimonium ineundo pariunt [2])?

Denique, ut ad finem huius digressionis perveniam, hic antiquissimus sponsam emendi mos sic postea mutatus esse videtur, ut ea, quae sponsus patri puellae solvit, postea ab hoc filiae dotis loco darentur [3]). Hoc enim duo potissimum loci Homeri Odysseae (α 278, β 196) docent, ubi verbo ἕδνα dotis notio subiecta est [4]).

Quid deinde? Ex iis, quae modo evicimus, nonne, ut tandem perveniam, quo tendo, nostrae quaestioni de Stheneboeae nomine enodando quidquam lucramur? Verbi posterior pars —βοια procul dubitatione a verbo βοῦς derivanda est [5]). Prior autem

1) cf. E. Hermann l. c. p. 15; O. Schrader l. c. p. 552.

2) Eandem fere sententiam proferentem vides E. Hermannum, cum dicit l. c. p. 15: „Auch der Ausdruck παρθένοι ἀλφεσίβοιαι Σ 593 „rindererwerbende Jungfrauen“ beweist nicht, dass der Schwiegervater den Kaufpreis erhielt.“ — Ceterum munera sponsialia i. e. ἔεδνα *sponsae* data esse, etiam inde colligere lubebit, quod ἔεδνα etiam διαπαρθένια appellabantur, quae idem significant ac quod vernacule „Morgengabe“ vel Latine „pretium delibatae pudicitiae“ dicere consuevimus, cf. Daremberg: Dict. vol. I p. 261.

3) cf. O. Schrader: Sprachvergleichung und Urgeschichte [3], Jena 1906, pars I p. 216.

4) cf. O. Schrader: Sprachvergleichung und Urgeschichte [2], Jena 1890, p. 552.

5) cf. Fick-Bechtel: Griech. Personennamen [2], Göttingen 1894, p. 80. Idem de syllaba —βοια verbi Μελίβοια, quam cum vocabulo principali

verbi, de quo agimus, pars Σθενε— a voce σθένω omnium consensu ducitur, cuius notio est non solum simpliciter valere sed etiam divitem esse, quo sensu plerumque in verborum connexu χρήμασιν σθένειν occurit [1]). His omnibus perpensis non eget nomen Σθενέβοια accuratiore explicatione, sed per se plane perspicuum est; *neque enim quidquam aliud significat nisi feminam, quae multum potest bubus vel quae est bubus copiosa, quippe quos sponsa a sponso in fidem et pignus amoris acceperit.* Et stabilitur porro haec argumentatio, qua simul docuisse nobis videmur illum morem institutumque maiorum et ex mulierum quibusdam nominibus apparere quamque adhuc nemo, quantum scio, protulit, aliis quibusdam nominibus, quorum hoc loco compluria in memoriam redigere mihi liceat. Idem ac nomen Σθενέβοια etiam Πολύβοια valet; porro virgini, quae matrimonium ineundo boves sibi peperit, iure, dummodo supra recte de verbis ἀλφεσίβοιαι παρθένοι iudicaverimus, nomen Ἀλφεσίβοια [2]) tribuimus, Ἐρίβοια denique ea nominatur, quae est cupidissima boum, quos ut sibi nuptiis paret, haud scio an studeat [3]).

Iam vero hac quaestione de Stheneboeae nominis vi absoluta, fortasse licet aliquam proferre suspicionem de nominis Antiae mutatione, quam ut quaestionem supra solveremus fieri non potuisse vidimus. Nonne hoc, quod modo de nuptiis apud veteres Graecos conciliandis et de nomine Stheneboeae enodando evicimus, propius vero facit *Antiae nomen in fabula ea de causa in Stheneboeam mutatum esse, quod Antia, cum Proeto nuberet, sibi vel marito multos boves quaesivit?*

βιόω cohaerere perperam putat Enmann (cf. Roscher: Lexikon d. griech. u. röm. Mythologie, vol. II, 2 p. 1970), recte statuit Maas in libro, qui inscribitur: Griechen und Semiten auf dem Isthmus von Korinth, p. 47 annot. 6. Aeque atque Enmanni Papii (cf. Lexikon d. griech. Eigennamen, vol. II p. 1173) quoque sententia improbanda est syllabam —βοια cum verbo βοάομαι cohaerere ob eamque rem nomen Περίβοια esse intellegendum „Rotheid“ i. e. „die mit weitschallendem Rufe begabt ist“; valet potius Περίβοια idem fere ac Περιμήλη, de quo nomine cf. Fick-Bechtel: Die griechischen Personennamen, p. 400.

1) cf. Eur. El. v. 939: τοῖσι χρήμασι σθένων.

2) cf. Paus. VIII, 34, 4.

3) cf. Fick-Bechtel l. c. p. 388.

Sed satis mihi verba fecisse videor de hac quaestione. Age vero accedamus ad alteram huius dissertationis partem, qua ut quomodo recte fabula sit restituenda docerem, praecipue mihi proposui.

II. De fabula restituenda.

Iam saepe multi multis locis vehementius invecti sunt in huiusce modi fabulas restituendi conatus, qui cum essent cuiusdam infelicis operae tum etiam utiles parum; attamen totidem illustrissimi homines acri studio hos conatus defenderunt [1]), quod multarum fabularum, quae non ipsae essent servatae, argumenta ex fragmentis, porro ex posteriorum commemorationibus, denique ex mythographorum narrationibus restituta quodammodo cogitatione et mente complecti possemus. Revera crassas nebulas persaepe libero oculorum prospectui officere permultisque difficultatibus viam indagandi fragmenta et restituendi obstructam esse nullo modo negari potest, quoniam fragmenta ex contextu abscisa saepissime sunt difficillima intellectu eoque lectorem decipientia in suo fabulae loco collocari nequeunt. Itaque hac in re difficili non mirum esse videtur, quod fere omnes, qui in his rebus versati sunt, diversas sententias proferentes certatim quasi quod quisque habuit ad coniciendum et supplendum contulerunt nec tamen tot tantisque studiis quaestionum difficultates ullo modo sustulerunt. Eorum doctissimorum, qui ad hanc de Stheneboea restauranda quaestionem enodandam sese contulerunt, quoniam nomina et libros, in quibus nostram quaestionem attigerunt, iam supra commemoravimus, repetita enumeratione supersedemus. Neque vero huius operis est, ut totam controversiam diffuse peragam, qualis a principio usque ad hoc tempus ab illis doctissimis viris de Stheneboeae fabulae restitutione perducta sit, quandoquidem hoc facere non tam longum esse quam supervacuum videtur. Nam etsi

1) cf. Eduardus Hiller: De Sophoclis Phaedra et de Euripidis Hippolyto priore, in libr. miscell. ed. a societate philol. Bonnensi, Bonn. 1864, p. 34.

nemo non agnoscit, quantum huius fabulae cognitionem illi sane removentes haud paucas difficultates protulerint, tamen omnino omnes praeter Wilamowitzium illo Rabii gravissimo splendidissimoque invento destituti coniecturis opinionibusque saepius perperam positis innisi sunt necdum ob eam causam rectam fabulae restituendae rationem inire potuerunt. Quae cum ita sint, id potissimum moliamur, ut primum de fabulae argumento, quid omnino iudicandum sit quidque inde nostrae quaestioni efficiatur videamus, deinde ad fabulae ipsam restaurationem transeuntes ceteris dramatis reliquiis nova fragmenta inserere et ita fabulam, quantum poterimus, reficere conemur, ut cum ex ipsa re cogimur ea, quae quidem viri docti, qui praecipue adeundi sunt, digna statuerunt, in quibus elaborarent, cognoscamus vel omnino interdum attingamus et suo loco in utramque partem de sententiarum varietate disputare, hisce novam lucem pro nostris viribus affundere quaeque a viris doctis falsa accepimus meliora fortasse reddere studeamus. Neque vero in hoc quoque capite nobis erit facultas quaestionem uno tenore peragendi, nam rerum necessitate cogemur, ut a medio proposito longius aberremus et quaeramus, quomodo tragici Graecorum temporis unitatem servaverint.

Ac primum quidem paululum pedem sistamus in fabulae argumento.

Valde erat adhuc dolendum, quod, priusquam maxima laetitia affecti sumus eo quod Rabe indefesso labore fontem aperuit, ex quo libenti animo haurire possumus, et huius dramatis argumentum ex bibliothecae latebris in lucem edidit, argumento in marginibus codicis Medicei 56,1 ad Gregorii Corinthii commentarium in Hermogenis librum: περὶ μεθόδου δεινότητος (cf. Walz: Rh. G. F. VII, p. 1321) adscripto atque magnam partem vetustatis invidia percorrupte tradito, ut contenti essemus, fuimus coacti. Quamquam viri docti, quorum primus fuit Welcker [1]), quem sequebantur Nauck [2]) et Engelmann [3]) acute arguteque conati sunt argumenti lacunas supplere, tamen, etsi non negari potest permultum ad rem eos contulisse, alii alia ex opinione persaepe falsa scripserunt, ut interdum orationis

1) Welcker: Griech. Trag. vol. II p. 777.
2) Nauck: T G F² p. 567 sqq.
3) Engelmann: Archäol. Stud. z. d. Trag. p. 85.

vim mutarent. Omnibus his difficultatibus, quae iis, qui in Stheneboeam fabulam inquirere volebant, oblatae erant, iam viri docti supersedent atque id solum iis relinquitur, ut paucos librariorum illiteratorum mendis corruptos locos aut obscuros, quoad eius fieri possit, expurgent. Etsi Wilamowitz ad hanc quoque quaestionem accedens argumentum optimis annotationibus et emendationibus instruxit, tamen cum quia perpauca habeo, quae addam, tum quia saepius in fabula restituenda ad hoc eum, qui legat, reiciam, hoc loco argumentum transscribere necessarium duco, ut statim loci mihi tractandi aperti sint.

Sequitur fabulae ὑπόθεσις: *Προῖτος ἦν Ἄβαντος υἱός, Ἀκρισίου δ' ἀδελφός, βασιλεὺς δὲ Τίρυνθος. γήμας δὲ Σθενέβοιαν, ἐξ αὐτῆς ἐγέννησε παῖδας. Βελλεροφόντην δὲ φεύγοντα ἐκ Κορίνθου διὰ φόνον αὐτὸς μὲν ἥγνισε τοῦ μύσους, ἡ γυνὴ δὲ αὐτοῦ τὸν ξένον ἠγάπησε. τυχεῖν δὲ μὴ δυναμένη τῶν ἐπιθυμημάτων διέβαλεν ὡς ἐπιθέμενον αὐτῇ τὸν Κορίνθιον· πεισθεὶς δὲ ὁ Προῖτος ἐξέπεμψεν αὐτὸν εἰς Καρίαν, ἵνα ἀπόληται· δέλτον γὰρ αὐτῷ δοὺς ἐκέλευσε πρὸς Ἰοβάτην διακομίζειν, ὁ δὲ τοῖς γεγραμμένοις ἀκόλουθα πράττων προσέταξεν αὐτῷ διακινδυνεῦσαι πρὸς τὴν Χίμαιραν. ὁ δὲ ἀγωνισάμενος τὸ θηρίον ἀνεῖλε. πάλιν δὲ ἐπιστρέψας εἰς τὴν Τίρυνθα κατεμέμψατο τὸν Προῖτον, ἀνέσεισε δὲ τὴν Σθενέβοιαν ὡς εἰς τὴν Καρίαν ἀπάξων. μαθὼν δὲ παρά του ἐκ Προίτου δευτέραν ἐπιβουλὴν φθάσας ἀνεχώρησεν. ἀναθέμενος δὲ ἐπὶ τὸν Πήγασον τὴν Σθενέβοιαν μετέωρος ἐπι τὴν θάλασσαν ἤρθη. γενόμενος δὲ κατὰ Μῆλον τὴν νῆσον ταύτην ἀπέρριψεν. αὐτὴν μὲν οὖν ἀποθανοῦσαν ἁλιεῖς ἀναλαβόντες διεκόμισαν εἰς τὴν Τίρυνθα. πάλιν δὲ ἐπιστρέψας ὁ Βελλεροφόντης πρὸς τὸν Προῖτον αὐτὸς ὡμολόγησε πεπραχέναι ταῦτα· δὶς γὰρ ἐπιβουλευθεὶς ὑπ' ἀμφοτέρων, δίκην εἰληφέναι τὴν πρέπουσαν, τῆς μὲν εἰς τὸ ζῆν, τοῦ δὲ εἰς τὸ λυπεῖσθαι. εἰσάγεται γοῦν ὁ Βελλεροφόντης λέγων καθ' ἑαυτόν.*

Putat Wilamowitz l. c. p. 226 membra orationis clausulis rhythmicis distincta esse atque ea ratione, ut ubi ultimum accentum duae syllabae sequantur, ante eum singulae aut ternae syllabae accentu carentes exstent. Nihil habeo, quod equidem huic rei acute observatae addam, quare ne diutius in hac re demoremur, iam ad singula verba accuratius explananda transeamus:

Ac primum quidem in verbo *Ἀκάμαντος* codd. M et V offendimus Nauckium sequentes, qui recte *Ἄβαντος* coniecit, quoniam ubique uti e. gr. in schol. Eur. Or. v. 965, apud Apollodorum II 2, 1, apud Malalam, Chronogr. IV, 83, Proetus Abantis filius nominatur.

αὐτὸν μὲν codd. M et V recte correxit Wilamowitz in *αὐτὸς μέν*.

ἐπιθέντα cod. M. *ἐπιθέμενον* cod. V. Ex toto loci conexu dilucide perspicitur *ἐπιθέντα* i. e. Part. Aor. II verbi *ἐπιτιθέναι* (i. e. theotisce „daraufsetzen, auflegen“) nihili esse, sed solum *ἐπιθέμενον* i. e. Part. Aor. II verbi *ἐπιτίθεσθαι* (i. e. vernacule „sich aufsetzen, nachstellen“ vel Latine ‘insidias parare’) probari potest.

Sequentem quoque locum: *ἀνέσεισε δὲ τὴν Σθενέβοιαν ὡς τὴν Καρίαν ἀπάξων* cod. V recte expurgavit Wilamowitz scribens *ἀνέσεισε . . . ὡς εἰς τὴν Κ . . . . . ἀπάξων,* quia particula *ὡς* eadem vi atque hoc loco aliis quoque locis occurrit, cf. schol. ad Arist. pac. v. 141: *ὡς ἕξων γυναῖκα.*

Satis probabiliter praeterea ille vir doctissimus monuit, Cariam hoc loco pro Lycia appellare poëtam, quia usque ad annum 439 Lycii Cariae provinciae erant attributi. — In Cariam vel potius in Lyciam potissimum Bellerophontes Stheneboeam auferre vult, ut minas suas graviores reddat, nam Jobates certe indignissime fert, filiam suam Stheneboeam tam flagitiosam nefariamque in Bellerophontem fuisse.

Sed compluribus verbis ambigamus de sequenti loco, quo in sanando ad id solum, quod in cod. V traditum est, nos conferre possumus, quia cod. M verba iam valde corrupta sunt. Atque praebet cod. V haec: *μαθὼν δὲ παρ' αὐτοῦ ἐκ Προίτου δευτέραν ἐπιβουλὴν φθάσας ἀνεχώρησεν.* Sed in verbis *παρ' αὐτοῦ* mendum inesse primo obtutu intellegimus, quocirca Wilamowitz scribere vult *παρ' αὐτῆς*, Rabe *παρά του.* Atque recte hic quidem, ut puto. De Wilamowitzii autem coniectura *παρ' αὐτῆς* modestam dubitationem reticere nequeo. Sed ut demonstrem, quibus causis commovear, oportet me exponere, quomodo huius loci sensus procedat et procedere debeat. Bellerophontes postquam Proetum propter iniuriam sibi allatam valde vituperavit, abiit, uti ex verbo *ἀνεχώρησε* concludere licet. De insidiis autem a Proeto iterum sibi paratis certior factus paulo post revertit, ut eas anteveniens Stheneboeam secum auferret et in

mare praecipitaret. At a quonam certior factus est Bellerophontes? Wilamowitz coniciens *παρ' αὐτῆς* putat Stheneboeam Bellerophontem, postquam abiit, secutam hoc fecisse. Sed quaerimus, cur, si recte Wilamowitz sentit, Bellerophontes eandem mulierem, cuius calumniae veniam dedit cuiusque auxilio iam ab interitu est modo retractus, brevi post tam atroci morte affecerit. Nonne hoc, etiamsi id fortasse huic Wilamowitzii sententiae aliquam excusationem praebere possit, quod Bellerophontes mulieris morte maritum affligere voluerit, tamen summae crudelitatis et iniuriae est, quas quidem ab tragicis in dramate depictas esse vix putemus? Oportet igitur nos ad hoc Bellerophontis facinus intellegendum novam Stheneboeae culpam quaerere atque reapse haec coniectura necessaria ipsis in fine argumenti positis verbis fulcitur: *δὶς γὰρ ἐπιβουλευθεὶς ὑπ' ἀμφοτέρων δίκην εἰληφέναι τὴν πρέπουσαν, τῆς μὲν εἰς τὸ ζῆν, τοῦ δὲ εἰς τὸ λυπεῖσθαι.* His enim verbis edocemur Stheneboeam ea de causa a Bellerophonte tam graviter punitam esse, quod insidias ei struxisset. Earum autem insidiarum, quas novimus, Bellerophontes mulieri veniam iam dedit, quia ab hac eum poenas non petivisse scimus; restat igitur, ut coniciamus Stheneboeam, ut fallaciae et insidiarum poenas iure lueret, pariter ac priorum etiam iteratarum auctorem fuisse. Atque ad hanc sententiam probandam ansam dant tragoediae fragmenta 664. 665. Ex his apparet Stheneboeam iterum Bellerophontis in Lycia absentis amore inflammatam esse. Hanc autem a Bellerophonte, ut hic sibi constaret, denuo post reditum ex Lycia repulsam esse necesse est [1]). Quid igitur veri est similius quam Stheneboeam iterum repulsam et vehementiore ira captam denuo iuvenem calumniatam esse [2])? Bis igitur Proetum et Stheneboeam Bellerophonti insidiatos esse videmus. His expositis et explanatis porro manifestum est, Stheneboeam de iis insidiis, quarum ipsa auctor fuit, Bellerophontem non certiorem facere potuisse ob eamque rem Wilamowitzii coniecturam dubitationi obnoxiam esse debere.

---

1) cf. Kock: ed. Arist. ran. annot. ad v. 1051, qui Bellerophontem post reditum ex Lycia a Stheneboea iterum pellectum esse putat.

2) Fortasse ad has iteratas calumnias respicit Ovidius, cum dicit trist. II, 397:

Numquid de tetrico referam domitore Chimaerae.
Quem leto fallax hospita paene dedit?

At optime huius, de quo agimus, loci sensus evadit, si ad Rabii sententiam inclinamus scribentes *παρά του*: Nuntiat igitur aliquis, cui etiam in dramate nomen non erat, Bellerophonti novas Proeti eiusque uxoris insidias et Bellerophontes statim revertitur, ut eam, cui semel indulserit, simulque eius maritum gravissime ulciscatur. Huc accedit, quod coniectura *παρά του* paulum differt ab traditis verbis *παρ' αὐτοῦ*, ut perfacile librarii neglegentia alterum pro altero poni potuerit. His percensis, omnibus interpretandi spinis supersedemus simulque Rabii non intempestivo obsoleti pronominis more decepti [1]) coniecturam *παρά του* satis probabilem a nobis redditam esse censeo.

Haec de argumenti vitiis atque de medelis, quae ei sint adhibendae, habeo dicenda. Iam ad ea transeuntes, quae ex argumento sequuntur, primum de iis rebus, quas ab Euripide in hoc dramate novatas esse viri docti persuasum habent, quid sit iudicandum, videamus.

Inter omnes constat tragicos Graecorum et potissimum Euripidem res in dramate sic tractasse, ut de via a poëtis epicis praemonstrata saepius deflecterent et de suo celebribus personis novas fabulas adfingerent [2]). Ut autem evincamus, quomodo fabulam Stheneboeam Euripides immutaverit, primum omnino in fontem, ex quo fabulae materia a poëta sit petita, inquiramus necesse est. Vetustissimum testimonium de Stheneboea fabula legimus apud Homerum, qui haec in Iliadis carmine Z 160 sqq. narrat: Antia (i. e. Stheneboea), Proeti regis Argivorum uxor, vehementissimo Bellerophontis amore flagrans hunc, ut sibi concumberet, pellicere studuit et cum is mulieris voluntatibus non morigeraretur, apud maritum calumniata est. Hic uxori fidem habuit et Bellerophontem cum epistula ad Jobatem, Lyciae regem, misit, ut ab hoc periret. Bellerophontes cum in Lyciam advenisset, ab Jobate per novem dies hospitaliter exceptus est. Decimo autem die Jobates, postquam epistulam Proeti legerat, deinceps primum cum Chimaera, deinde contra Solymos, tum in Amazones, denique in fortissimos Lyciorum iuvenes eum pugnare iussit. His omnibus devictis rex filiam suam et dimidiam regni partem Bellerophonti dedit. Praeter

---

1) cf. Wilamowitz: Class. philol. III (1908) p. 226.

2) cf. Wilamowitz: Analecta Euripidea, Berol. 1875, p. 177.

hanc Homeri narrationem nulla fabula de Stheneboea ab Graecorum epicis et lyricis poëtis ad nostram aetatem pervenit. Videtur igitur Euripides ea, quibus ab Homero differt ex suo ingenio fabulae genuinae adfinxisse, atque hoc paene exploratissimum nobis est, dummodo posterorum scriptorum atque praecipue mythographorum narrationes, quae quidem ab singulis ex diversissimis scriptorum operibus sunt compositae et contaminatae, exhibeamus. Plerique enim (schol. ad Il. Z 160; Nicol. Damasc. fr. 16 (cf. Mueller: FHG III, 367); Hygin. fab. 57; Serv. Aen. V, 118; Apollod. II 3, 1 sqq.) idem fere narrant atque Homerus, perpauci Johannes Antiochenus fr. 21 (cf. Mueller: FHG IV, 549) et Suidas, cuius narratio s. v. Σθενέβοια ad verbum congruit cum eadem Johannis Antiocheni, producunt narrationem usque ad primum Bellerophontis iter in Lyciam et silentio praetereunt ea facinora, quae iuveni ab Jobate imposita sunt. Nisi de pugna cum Chimaera commissa [1]) Nicolaus Damascenus (l. c.), Hyginus (l. c.), Stheneboeae argumenti auctor non de Bellerophontis rebus gestis referunt.

Quibus expositis videmus a nullo mythographorum, quos modo commemoravimus, nos erudiri de Bellerophontis reditu ex Lycia Tirynthem et de fallacia Bellerophontis Stheneboeam in mare praecipitantis. Quae cum ita sint hoc i. e. 'Stheneboeam a Bellerophonte decipi, abduci, interfici Euripidis esse commentum' Wilamowitz (l. c. p. 230) censet et Bethii [2]) et Rappii [3]) sententiam secutus. Attamen haud scio an huic sententiae argumenta ex intima re deprompta possint obviam obici.

Iam Otto Gruppe in aureo illo libro, qui inscribitur: Griechische Mythologie und Religionsgeschichte, egregie dicit haec p. 124: „Bellerophon ... ursprünglich wohl ein Sohn des Poseidon, wie so viele andere höllische Plagegeister, aber in der Heldensage der ritterlichsten Helden einer, Sohn des Glaukos und Enkel des Sisyphos, während sich von der ursprünglichen Bedeutung des Fluchrosses eine Spur darin erhalten hat, dass das Ross seinen Reiter, Bellerophon selbst und vielleicht die buhlerische Stheneboia, dem Untergang weiht".

1) cf. quae de hac re p. 52 sqq. monebo.
2) Bethe apud Paul.-Wiss. vol. III, 1 p. 250 s. v. „Bellerophon".
3) Rapp apud Roscherum: Lexikon d. griech. und römisch. Mythologie I, 1 p. 772.

Putat igitur Gruppe ea, quae de Stheneboea in mare deiecta traduntur, ad antiquam quandam fabulam pertinere. Atque haec sunt, quae valde nobis arrident. Etenim nonnulla argumenta, quibus recte sensisse Gruppium probetur, addere nobis videmur:

Quamquam hic vir doctus in annotatione 1. ad locum allatum dicit sane a posterioribus demum scriptoribus confirmari Bellerophontem Neptuni filium esse, tamen hoc mea quidem sententia alia quadam fabula a Gruppio mirum in modum prorsus neglecta satis evidentissime demonstratur [1]). Nimirum haec quoque fabula ab recentioris aetatis scriptore Plutarcho narratur, sed tam mira est, ut ad antiquum morem ritumque religionis spectare ob eamque rem ad nostram quaestionem probandam afferri posse persuasum habeam. Tradit enim Plutarchus de mul. virt. IX: Amisodarus ex colonia Lyciorum apud Zeleiam sita cum navibus piraticis duce Chimarro venit. Hunc, qui multum mali Lyciis intulit, Bellerophontes fugavit et eum persecutus necavit. Cum autem Jobates ei gratias non haberet, ad mare accessit Bellerophontes et Neptunum rogavit, ut terram infecundam sterilemque redderet. Votis ab iuvene factis Neptunus morigeratus est et mare Bellerophontem in interiora regionis retro euntem secutum terram inundavit. Cum viri a Bellerophonte impetrare nequirent, ut undas a terra revocaret, mulieres ad Bellerophontem vestimenta tollentes et corpora nudantes processerunt et ita hunc cum aquis recedere cogerunt. Nemo non sentit, qui hanc narrationem Plutarchi legit, aquas quae terram inundant aestum salientem et ex alto se incitantem, quod vernacule „Springflut" appellare consuevimus [2]), intellegendum esse. Quodsi autem Bellerophontes, cuius in hac quoque fabula maxime propria est castitas, Neptunum precibus adiit et hic petenti satisfecit et Bellerophonti mare audiens fuit, simul quanta necessitudine coniuncti sint Neptunus et Bellerophontes manifestum fit. His expositis quid quaeris? Nonne etiam ex eo, quod in hoc Euripidis dramate Bellerophontes Sthenoboeam in mare praecipitat i. e. Neptuno patri suo quasi ad puniendam tradit, Bellerophontem summa necessitudine

1) cf. O. Treuber: Beiträge zur Geschichte der Lykier, Programm des kgl. Gymnasiums in Tübingen 1886, p. 21 sq.
2) cf. Treuber l. c.

Neptunum attingere intellegimus? Atque hac de causa hunc Stheneboeae lapsum veterem fabulam sapere, quis est quin concedat? Sed accedunt et alia argumenta, quae ad nostram opinionem probandam adiumento sunt. Veterum Graecorum Romanorumque fabulas attente perlustranti sescenties occurrit homines quosdam sic de vita decedere, ut in mare se ipsi praecipitent vel ab aliis praecipitentur. Cuius moriendi generis quamquam in nonnullis fabulis dissimilis exstat ratio, tamen una atque eadem apparet in compluribus aliis. Verum illae ad nostram quaestionem nullius momenti sunt, quas quocirca mittamus, fabulas dico: de Icaro in mare Icarium [1]), de Hella in Hellespontum [2]), de Typhone in Tartarum deiecto [3]); de Scirone ab Theseo [4]), de Vulcano ab Junone [5]), de Penelopa a Nauplio Ithacam revertente et procos contra Penelopam excitante in mare detrusa [6]); de Aegeo se ipsum in Aegaeum mare praecipitante [7]). Atque accuratius contemplemur eas, in quibus certa ratio mortis hominum quorundam perspicitur. Cuiusmodi fabularum exemplum invenimus apud Soph. Aiac. v. 1297 et apud schol. ad hunc locum [8]): Aeropa, Catrei filia, a patre traditur Nauplio, qui eam in mare praecipitem datam interimeret, propterea quod patre invito in amorem servo sese dederat. Altera fabula de Aeropa in mare deiecta exstat apud schol. (Dind.) ad Eur. Or. v. 812 et apud Hygin. fab. 86: Aeropa, Atrei uxor, Thyesti, fratri Atrei, amatori aureum agnum mariti dedit, quo ille rex Argivorum factus est. Atreus autem postquam uxoris perfidiam comperit, eam in mare praecipitari iussit. Tertiam huiusmodi fabulam servavit Probus ad Virg. Georg. I extr. (Mueller: FHG IV p. 514): Alcyona, filia Scyronis, latronis

1) Diod. Sic. IV, 77, 9; Strabo 14, 1, 19 p. 639 aliique.
2) Diod. Sic. IV, 47, 1; schol. Apoll. Rhod. II, 1144 aliique.
3) Hesiod. Theog. v. 821 sqq.
4) Diod. Sic. IV, 59, 4.
5) Hom. Σ 394.
6) schol. Hom. δ 797; Didym. ap. Eustath. ad Hom. p. 1422, 7; sed Tzetz. ad Lycophr. 792 et schol. Pind. Ol. IX, 85 tradunt Penelopam infantem a parentibus oraculo: *αἶσχρος ἔχει Περίβοια κλέος τ᾽ἐν γαστρὶ γυναικῶν* commotis in mare deiectam esse, cf. Roscher: Lexikon d. griech. u. röm. Mythologie III, 2 p. 1906.
7) Hyg. fab. 242; Serv. Aen. III, 74; Suidas s. v. *Αἰγαῖον*; Diod. Sic. IV, 61, 7 tradit Aegeum de Acropoli sese praecipitasse.
8) cf. Roscher: Lexikon der griech. und röm. Mythologie I p. 87

Attici, Polypemonis filii, cum ei, ut maritum sibi quaereret, imperaret pater, arbitrata, cuicumque vellet, morigerari sibi licitum esse a patre ob impudicos amores in mare praeceps data est. Quartam denique similem fabulam narrat schol. ad Hom. *Β* 104: Cum Hippodameia, Oenomai filia et Pelopis uxor, quondam cum marito et Myrtilo, huius auriga, Aegaeum mare praeterveheretur et vehementer siti cruciaretur, Pelops de curru descendit, ut aquam peteret. Hippodameia, quae iam antea aurigam mariti amore prosequebatur, iam cum Pelops aberat Myrtilum ad stuprum pellicere conata est. Hic autem mulierem repudiavit, quare haec, cum Pelops interveniret, Myrtilum calumniata est apud maritum, quod ille sibi (mulieri) vim afferre voluisset. Zelotypia captus Pelops Myrtilum de curru in mare praecipitavit, quod tum Myrtoum mare appellabatur.

Satis iam multas simillimas fabulas enumeravi, nunc nodum solvere tentabo. Lucide hisce ex fabulis apparet fabulosa antiquitate praecipue eos homines hoc mortis genere, ut in mare praecipitarentur, multatos esse, qui propter impudicitiam vel adulterium alium quendam sive patrem sive maritum offendissent [1]): Atque haec suspicio eo probabilior est, quod ipsis temporibus, quae historia complectitur, hic in mare praecipitandi mos exstitisse videtur, ut haud pauca exempla docent [2]). Et si rem ipsam spectamus, haud scio an inde, quod omnino veteres aquam marinam purgandi et expiandi vim habere arbitrabantur [3]), illa multandi ratio, de qua agimus, probabilior fiat. Huc accedit insuper Ps.-Plut. narratio de fluv. I, 4: *οἱ δ᾽ ἐγχώριοι* (sc. apud Hydaspem) *τὰς ἀσεβῶς ἀναστρεφομένας παρθένους σταυροῖς προσηλώσαντες, εἰς αὐτὸν* (i. e. in fluvium) *βάλλουσιν, τῇ σφῶν διαλέκτῳ τὸν Ἀφροδίτης ὕμνον ᾄδοντες*, qua nostra sententia optime confirmatur, quare mihi videtur per totum orbem terrarum

1) Myrtili fabulam ea de causa huc quadrare censeo, quia Pelops Myrtilum revera culpa vacantem propter uxoris criminationem noxium esse putavit.
2) cf. Hermann-Thalheim: Lehrbuch der griech. Antiquitäten vol. II pars 1: Die griech. Rechtsaltertümer, Freiburg u. Leipzig 1895[4] p. 143, a. 1.
3) cf. Schoemann-Lipsius: Griechische Privataltertümer, Berlin 1902[4]. II p. 251 et p. 395; praeterea cf. e. gr. Soph. Ai. v. 654 sqq. et Eur. Hecub, v. 609 sq.

antiquum extensus mos fuisse, ut ei, qui non caste vixissent, in mare deicerentur. Quid deinde quaeris de Stheneboea in mare deiecta? Exploratum habemus, in hac narratione fabulam prorsus novam occurrere, quae certissime originem prae se ferat satis antiquam. Atque hanc coniecturam fulciri videmus, dummodo ad ultimam huius disputationis partem aggressi oculos rursus convertamus ad dramatis argumentum.

Supra demonstravimus Stheneboeam, cum Bellerophontes in Lycia abesset, iterum amore iuvenis correptam eum post reditum apud Proetum denuo calumniatam esse, ut Bellerophontes hac iterata mulieris criminatione commotus eam in mare praecipitaret; duo igitur fabularum genera in argumento aperte dignoscenda et lineamentis certis describenda sunt, quae eo inter se differunt, ut in uno usque ad Bellerophontis abitum tantum perducta sit narratio et derelictum sit id quod apud schol. ad Aristoph. ran. vv. 1043 et 1050; Hygin. fab. 57, 248; Nicol. Dam. fr. 16 narratur Stheneboeam ipsam post Bellerophontis abitum sibi mortem conscivisse [1]), in altero autem Bellerophontes Stheneboeam ob falsam criminationem statim, priusquam in Lyciam sese contulit, poena affecerit. Ex hac fabularum varietate, quam modo enucleavimus quaeque Graecae libertatis proprietatisque respectu, qua singulae civitates traditas religiones mythosque retinebant [2]), nihil miri praebet, manifestum fit non agi posse de Euripidis invento, quippe cuius rationem, dummodo una sola fabula exstitisset, ad quam in componendo dramate poëta sese conferret, non intellegere possimus. Quae cum ita sint verum evadit Euripidem, quem multa, quae apud eum primum exhibentur, non modo non invenisse vel primum litteris mandasse, sed ex certo quodam litterarum fonte hausisse ceteroquin constat [3]), etiam in hac fabula ad Aeschyli artem sese applicasse et novam materiam sibi suppeditasse vetustiorem poëtam et neglectum quidem adeundo.

Atque ex iis, quae modo dixi, iam vides aliquid fortasse affulgere luminis etiam illi quaestioni, quam supra in medio

1) cf. quae de hac re postea p. 76 sqq. disseram.
2) cf. M. Mayer: De Euripidis mythopoeia capita duo, Berolini 1883, p. 3.
3) cf. M. Mayer l. c. p. 4 sqq.

reliquimus [1]): Nonne potuit in altera harum fabularum, quas Euripides in dramate conglutinavit, Proeti uxori nomen Stheneboea pro Antia datum esse [2])?

Postquam satis demonstrasse nobis videmur, quibus fabulis ad tragoediam componendam usus sit Euripides, dimidium solum negotii egisse videremur, si hoc loco subsisteremus neque quaereremus, num hae Stheneboeae fabulae Graecorum propriae essent. Ut hanc quaestionem tractarem, adductus sum Benderi sententia, quam protulit in commentatione, quae inscribitur: Die märchenhaften Bestandteile der homerischen Gedichte, Programm des grossherzoglichen Gymnasiums zu Darmstadt 1878, p. 13 sq. Hic enim vir doctus hanc de Stheneboea Bellerophontem false apud Proetum criminante fabulam mere Graecam esse infitiatus est eamque cum eadem notissima de muliere Potipharis Josephum apud maritum calumniata [3]) comparatam contendit ex illo Hebraico fonte fluxisse; sed sagacius hoc quam rectius! Nam compluribus de causis de hac suspicione mihi quidem scrupulus inicitur atque argumentum, quod ille vir doctus ad hanc opinionem probandam attulit, non esse satis firmum neque ideo rem inclinare iam manifestum fiet. Nimirum si Bender propterea, quod in illis regionibus undique in Lyciam ex Syria omnes cum mercibus atque oneribus commeabant, facile etiam fabulas, religionum cultus moresque ex una in alteram terram deferri potuisse putat, sane hoc libenter concedo, sed quod in universum non denego, in hac fabula infirmem. Atque potissimum ea ipsa de causa, quia haec fabula ex parte tantum atque id res Bellerophontis ipsius in Lycia agitur, verum ea, quae iis, quae in Lycia aguntur, praecedunt i. e. haec ipsa Stheneboeae criminatio, cui soli cum illa Hebraica fabula ratio intercedit, non in Lycia sed Tirynthe nata est ob eamque rem mere Graecae fabulae speciem prae se fert. Huc conferas, quam egregie hoc explanaverit Otto Gruppe, cum dicit [4]):

1) cf. p. 10.
2) cf. supra p. 10 et p. 13.
3) cf. I. Mos. 39.
4) Bursians Jahresbericht 1908, vol. 137 (suppl.) p. 433.

„Mit Benutzung einer troizenischen Ueberlieferung hat ein argivischer Dichter im Anfang des VII. Jahrhunderts die Sage von Prötus mit seinem bösen buhlerischen Weibe Stheneböa erfunden: Diese ursprünglich ganz in Tiryns lokalisierte Sage ist über Rhodos nach Kleinasien verpflanzt worden, wo nun wenigstens ihr zweiter Teil spielt; andererseits hat ein korinthischer Dichter gegen Ende des VII. Jahrhunderts den ganzen Mythus nach seiner Heimat übergeführt, indem er Proitus zum Enkel des Sisyphos machte und seiner Gattin den korinthischen Namen Anteia oder Antiope gab."

Atque etiam amplius procedamus. Graecorum fabulas perquirentibus permagna copia talium narrationum de mulieribus aeque nefariis occurrit, quas quin Bender, si sibi constitisset, easdem ex Hebraico fonte fluxisse colligeret, fieri non potuit. — Liceat mihi eas fabulas, quae gravioris sunt momenti, hoc loco afferre:

Luculentissimum huius rei exemplum exstat apud Nic. Dam. fr. 56 (cf. Mueller: FHG III, 389) = Suid. s. v. *Ἀταλάντη*: Atalanta enim, Acasti uxor, Pelei amore correpta, cum castum adulescentem ad stuprum sibi promptum facere nequisset, eum praeoccupare studuit et apud maritum criminata est, quod ab illo de stupro sollicitata esset. Quo audito Acastus veritus pariter ac Proetus et Pelias [1]) eum interficere, quem antea expiaverat, Peleum venandi causa in montem Pelium pertraxit, ubi eum deserere volebat sperans illum a feris vel centauris interfectum iri [2]). Hic autem *μαχαίρᾳ* a Vulcano facta servatus Acastum bello persequebatur et Iolco expugnata Acasti uxorem interfecit. Similem narrationem tradit Ps.-Plut. de fluv. III, 1: Hebrus, Casandri regis Thraciae filius, in amorem

1) Jason ab avunculo Pelia mittitur, ut pereat, cf. O. Gruppe: Griech. Mythologie und Religionsgeschichte I p. 558 et annotationem 2 ad hunc locum, ubi Gruppe: „Das Vorbild", inquit, „war in diesem Falle wahrscheinlich die Bellerophonsage, die auch später noch von Künstlern passend bisweilen als Gegenstück zur Jasonfrage verwendet wird."

2) cf. Apollod. III 13, 3, 2; schol. ad Arist. nub. v. 1063; Roscher: Lexikon der griech. und röm. Mythologie III, 2 p. 1831.

novercae Damasippae incidit, quae de congressu ad ipsum verba perferenda curavit. Hebrus autem cum novercam reppulisset, ab hac apud maritum falso accusatus est, quasi stuprum sibi afferre voluisset. Casander vehementi ira inflammatus gladio stricto filium persecutus est, qui cum effugere non posset, se ipse in Rhombum fluvium praecipitavit. De similibus porro mulierum libidinosarum falsis criminationibus cf. Apollod. III 13, 8, 3: *συνείπετο δὲ αὐτῷ Φοῖνιξ ὁ Ἀμύντορος. οὗτος ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἐτυφλώθη καταψευσμένης φθορὰν Φθίας τῆς τοῦ πατρὸς παλλακῆς* et epit. 3,24: *Κύκνος γὰρ ἔχων ἐκ Προκλείας τῆς Λαομέδοντος παῖδα μὲν Τένην, θυγατέρα δὲ Ἡμιθέαν, ἐπέγημε τὴν Τραγάσου Φιλονόμην· ἥτις Τένου ἐρασθεῖσα καὶ μὴ πείθουσα καταψεύδεται πρὸς Κύκνον αὐτοῦ φθοράν.* Praeterea huc spectat fabula Hippodameiae et Myrtili, quam supra iam in examen convocavimus, et illa narratio de Penelopa Euryalum apud Ulixem calumniata, quam tradit Parthenius [1]). Denique de Phaedrae in Hippolytum amore falsisque criminationibus fabulam, quam Sophocles et Euripides tragoediis tractaverunt, quis est quin noverit?

Postquam has narrationes enumeravimus nihil dubii apud nos relictum est, quin tales non quasi primo apud unam nationem exstitissent, deinde ad ceteras transissent, sed inveniuntur potius fabulae eiusmodi materiae, quippe quae omnibus temporibus ab humana natura non alienae fuerint et adhuc sint, liberae inter se apud diversissimas nationes. Atque eo minus putandum est hanc Stheneboeae fabulam ex Hebraico fonte fluxisse, quo plures et aliae similitudines in Graecorum et Hebraeorum fabulis inveniuntur, quas non inter se cohaerere satis constat. Plane enim e. gr. concinnit [2]) illa Apollodori narratio [3]) Acrisium et Proetum iam in utero matris inter se luctatos esse cum illa, quam legimus in antiquo testamento [4]); et illa epistula, qua Davidus Uriam perdere studuit [5]),

1) Parthenius: *περὶ ἐρωτικῶν παθημάτων*, (cf. Erot. scriptor. Graec. rec. R. Hercher I p. 5 sq.)

2) cf. O. Meiser: Mythol. Untersuchungen zu Bacchylides, München 1904, p. 2.

3) Apollod. II 2, 2.

4) I. Mos. 25 v. 22: „Und die Kinder (sc. Jakob u. Esau) stiessen sich mit einander in ihrem Leibe."

5) cf. II. Samuel. 11, vv. 14—17.

etiam in nostra fabula quasi renata est, neque quisquam dixerit hanc illa effectam esse. Quare cum gravioribus argumentis [1]), quam quae attulit Bender, non impediamur, quominus putemus hanc fabulam mere Graecam esse, in hac opinione a nobis prolata ac defensa iam acquiescamus.

Hac re diligentius considerata gaudeo iam, quod tandem lectores ad fabulam reficiendam perduxi. Sed priusquam ad cetera iam saepe tentata fragmenta accedamus, nobis cum lectoribus conveniendum est de illis apud Johannem diaconum servatis haud paucis versibus. Hos versus prologum dramatis esse et testis est Aristophanes, qui Euripidem ipsum in ran. v. 1217 sqq. loquentem fecit haec:

Εὐρ.: . . . *πρὸς γὰρ τουτονὶ*
τὸν πρόλογον οὐχ ἕξει προσάψαι λήκυθον.
οὐκ ἔστιν ὅστις πάντ' ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ·
ἢ γὰρ πεφυκὼς ἐσθλὸς οὐκ ἔχει βίον,
ἢ δυσγενὴς ὢν . . .

et testantur ea, quae scholiasta ad versus, quos eosdem servavit Aristophanes ran. v. 1219 sqq., annotavit: *Σθενεβοίας δὲ ἡ ἀρχή.* Atque Bellerophontem tragoediae prologum recitare apparet ex verbis, quibus Johannes hunc affert: *εἰσάγεται γ' οὖν ὁ Βελλεροφόντης λέγων καθ' αὑτόν.* Et neutiquam mirandum! Quisnam hoc praestantius facere potest quam Bellerophontes, cui omnia, et quae antea iam facta sunt, et quae Stheneboea commiserat, nota sunt, ut ex re ipsa refutetur Weckleinii sententia [2]), qui arbitratur non Bellerophontem sed Stheneboeae nutricem prologum agere, quod, quoniam fatum atque interitus Stheneboeae sit fabulae argumentum, de Stheneboea a n u t r i c e in prologo referri oporteat?

1) Ceterum etiam ea, quae Lewy (Semitische Fremdwörter, Berlin 1895, p. 190 sqq. et in Neue Jahrbücher f. Philologie vol. 145, 1892 p. 185 sqq.(de nomine Bellerophontis enodando statuere conatus est interpretatus hoc nomen ex Hebraico verbo בעל־רפון i. e. ba'al rāphon (i. e. ba'al der Heilung), tam incerta sunt, ut hac quoque ex parte nihil ad Benderi sententiam probandam accrescat, cf. O. Gruppe: Griech. Mythol. p. 123, annot. 12, qui hoc nomen vere Graecum esse probabilissime contendit.

2) Wecklein: Sitzungsberichte der kgl. bayr. Akademie der Wissenschaften z. München 1888, I p. 100 sqq.

His praemissis audiamus Bellerophontem ipsum recitantem [1]):

Οὐκ ἔστιν, ὅστις πάντ' ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ.
ἢ γὰρ πεφυκὼς ἐσθλὸς οὐκ ἔχει βίον
ἢ δυσγενὴς ὢν πλουσίαν ἀροῖ πλάκα.
πολλοὺς δὲ πλούτῳ καὶ γένει γαυρουμένους
γυνὴ κατήσχυν' ἐν δόμοισι νηπία.
τοιᾷδε Προῖτος γῆς ἄναξ νόσῳ νοσεῖ,
ξένον γὰρ ἱκέτην ἐπελθόντα στέγης
λόγοισι πείθει καὶ δόλῳ θηρεύεται
κρυφαῖον εὐνῆς εἰς ὁμιλίαν πεσεῖν·
αἰεὶ γάρ, ἥπερ τῷδ' ἐφέστηκεν λόγῳ
τροφὸς γεραιὰ καὶ ξυνίστησιν λέχος,
ὑμνεῖ τὸν αὐτὸν μῦθον, ὦ κακῶς φρονῶν,
πείθου· τί μαίνῃ; τλῆθι δεσποίνης θιγεῖν,
κτῆσαι δ' ἄνακτος δῶμα πεισθείς τι βραχύ.
ἐγὼ δὲ θεσμοὺς Ζῆνα θ' ἱκέσιον σέβων
Προῖτόν τε τιμῶν, ὅς μ' ἐδέξατ' εἰς δόμους
λιπόντα γαῖαν Σισύφου φόνων τ' ἐμὰς
ἔνιψε χεῖρας αἷμ' ἐπισφάξας θέον,
οὐπώποτ' ἠθέλησα δέξασθαι λόγους
οὐδ' εἰς νοσοῦντας ὑβρίσαι δόμους ξένους
μισῶν ἔρωτα δεινόν, ὃς φθείρει βροτούς.
διπλοῖ γ' ἔρωτες ἐντρέφονται πῶς χθονί·
ὁ μὲν γεγὼς ἔχθιστος εἰς Ἅιδην φέρει,
ὁ δ' εἰς τὸ σῶφρον ἐπ' ἀρετήν τ' ἄγων ἔρως
ζηλωτὸς ἀνθρώποισιν· ὧν εἴην ἐγώ.
οὔκουν νομίζω καὶ θανεῖν γε σωφρονῶν,
ἀλλ' εἰς ἀγρὸν γὰρ ἐξιέναι βουλήσομαι·
οὐ γάρ με λύει τοῖσδ' ἐφήμενον δόμοις
κακορροθεῖσθαι μὴ θέλοντ' εἶναι κακόν,
οὐδ' αὖ κατειπεῖν καὶ γυναικὶ προσβαλεῖν
κηλῖδα Προίτου καὶ διασπάσαι δόμον.

vv. 4. 5. De his versibus infra p. 69 sq. uberius disputabimus.

1) Quibus in versibus transcribendis non omnes indicabo discrepantias codicum, quod earum permultae nihil nisi menda sunt. Plerumque potius virorum doctissimorum, qui in hac re sunt versati, probabilissimas coniecturas silentio recepi, quas qui accurate scire cupiunt illorum commentationes adeant: Rabe: Mus. Rhen. vol. LXIII p. 147 sq.; Stahl: Mus.

vv. 7—14: Addubitavit de hac versuum serie tradita Rabe, quod saepius sententiarum ordo orationisque progressus esset interruptus; itaque hic vir doctus locum sanare voluit coniciens v. 9 post v. 13 esse inserendum et v. 11 post v. 8, aut post v. 13 unum versum excidisse, quam eandem sententiam protulit Wilamowitz. Quod vero ad hanc versuum transpositionem ab illo propositam attinet, elegantius quam rectius, ni fallor, ille vir doctissimus coniecit, quoniam difficultas, quae illis versibus inhaerere videtur, in alio versuum loco facilius quaeritur. Sed ut hoc doceamus, primum ordo sententiarum, quas versus praebent, hac ratione nobis explicandus est: Bellerophontes pronuntiavit sententiam saepissime ab uxore virum generosum et divitem ignominia affici (v. 5), deinde narravit tali morbo etiam Proetum laborare (v. 6); nam hospiti, qui supplex venisset in domum regis omnibus verbis persuasisse et dolo insectatam esse Stheneboeam, ut cum ipsa secreto lectum genialem ascenderet; et semper nutricem, quae illius orationis esset auctor et lectum pararet, eadem verba fecisse: Stolidissime, cur insanis? etc. Vidimus igitur in iis versibus, in quibus potissimum Rabe offendit, nexum sententiarum non interruptum esse; aliter res sese habet in vv. 5. 6. 7, in quibus dilucide aliquid inest, quo merito offendimur. Ut primum de horum versuum sensu agam, coniuncti sunt particula *γάρ* (v. 7) atque ex hoc verbo apparet sequentes versus explicaturos esse, quomodo Stheneboea Proeto infamiam intulerit; oportet igitur Stheneboeam ad verba *πείθει* et *θηρεύεται* subiectum intellegi. Quoniam autem v. 6 *τοιᾷδε Προῖτος ⟨γῆς⟩ ἄναξ νόσῳ νοσεῖ* inter vv. 5. 7 intercedens impedit, quominus ex v. 5 ad verba *πείθει* et *θηρεύεται* subiectum *γυνή* trahamus, equidem existimo inter v. 6 et v. 7 unum vel complures versus excidisse, in quibus Stheneboeae mentio facta erat et Bellerophontes suum nomen appellaverat. Cui coniecturae una ex parte non nihil probabilitatis accrescit, qua de re infra p. 34 uberius disputabimus.

vv. 12. 13: Pro *ᾧ κακῶς φρενῶν πείθῃ* cod. V scripsi *ὦ κακῶς φρονῶν πείθου.* Wilamowitz coniecit *ὦ κακὸν φρονῶν πιθοῦ.*

Rhen. vol. LXIII p. 626; Wilamowitz: Class. philol. III p. 225 sq. Ceteras coniecturas ex parte invenies apud Nauck: TGF[2] p. 567 sqq.; M. Blaydes: Adversaria in tragicor. Graec. fragmenta, Halis-Saxonum 1894.

Praeferam autem *κακῶς φρονῶν,* quae verba eadem exstant in Eur. Orest. v. 907, et formam *πείθου,* quod propius ad id, quod traditum est, accedit. — Venimus nunc ad alteram Rabii coniecturam, quam strictim supra iam adumbravimus, fortasse post v. 13 unum versum excidisse; et nimirum difficultatem quandam obstare nullo modo negari potest, quia sententiarum series interrupta esse videtur. Quamquam Rabii opinio speciem recti habet, tamen equidem hunc locum sanare malim pro *ἐμῆς* cod. V coniciens *θιγεῖν*[1]) i. e. 'libidinose attingere'; hoc enim verbum *θιγεῖν* facile loco suo moveri potuit verbo *ἐμῆς,* quod nescio quis verbo *δεσποίνης* apposuit, atque occurrit insuper *θιγεῖν* eadem obscena notione compluribus veterum scriptorum locis, cf. e. gr. Eur. Hipp. v. 885: *Ἱππόλυτος εὐνῆς τῆς ἐμῆς ἔτλη θιγεῖν,* idem fere versus legitur in Eur. Electr. v. 255; praeterea *θιγεῖν* invenitur in Eur. Hipp. v. 1044: . . . *γυναικὸς* . . . *θιγεῖν.* Plut. de Alex. fort. II, 7 p. 339 F.: *καὶ τοῦ μὲν σώματος οὐκ ἔθιγεν.* Praeterea cf. Plut. vit. Alex. XXI: *οὔτε τούτων ἔθιγεν οὔτε ἄλλην ἔγνω γυναῖκα πρὸ γάμου.*

v. 14. In sequentibus verbis: *δῶμα πεισθείς τι βραχύ* offendit Wilamowitz corrigens *δώμαθ', ἓν πεισθεὶς βραχύ.* Sed nescio cur; optime me quidem iudice haec verba intellegenda sunt: 'in tantula re cedens'. His expositis ita locum modo emendatum interpretor et verto: 'Aude dominam meam attingere et regis domum et dominationem petere in tantula re cedens!'

vv. 22. 23 ab homine Christiano interpolatos esse censuit et novissime et iam, priusquam prologus a Rabio inventus est, Wilamowitz in Act. Academ. Berolin. 1907, 4, quia Christianorum *Ἅιδης* ille esset in quem inciderent, qui libidinose vixissent. Atque concedo hanc sententiam Christianam rationem sapere neque tamen video, cur versus 22. 23 totos eiciamus, quos quominus hoc loco retineamus ne vox *ἔρως* quidem impedit in extremo versu 24 collocata. Est enim Euripidis hoc potissimum, ut hac ratione haec duo amoris i. e. libidinosi et delectationem animi afferentis genera contendat, cf. e. gr. Jph. Aul. v. 543 sqq:

δίδυμ' Ἔρως ὁ χρυσοκόμας
τόξ' ἐντείνεται χαρίτων.
τὸ μὲν ἐπ' εὐαίωνι πότμῳ.
τὸ δ' ἐπὶ συγχύσει βιοτᾶς.

1) Quam coniecturam mihi dubitanter proposuit Rudolphus Hirzel.

Alia huius rei exempla congessit Nestle[1]). Non eruere igitur hos, quorum contentio multa habet invitamenta, versus quisquam velit, ut ipse concedit Wilamowitz, sed emendare potius, sive probat versus 22. 23 a Wilamowitzio illo litteris Graecis perfecto homine sic acutissime emendatos:

διϭϭοὶ γάϱ εἰϭ᾽ ἔϱωτες ἐν βϱοτῶν γένει,
ὁ μὲν γεγὼς αἴϭχιϭτος ὀλέϑϱιός ϑ᾽ ἅμα,

sive praefert modestas nec minus subtiles coniecturas Stahlii, qui versui 22 metricis legibus vitioso *πῶς* ante *χϑονί* inseruit et pro *γάϱ*, quoniam non habet quo bene referatur et versus compositionem conturbat, probabilem in modum *γ᾽* scripsit.

v. 25. pro *ὧν εἴην ἐγώ*, quod iam antea ex alio codice noverant viri docti[2]), scribere voluit F. G. Schmidt[3]) *ὧδ᾽ εἴην ἐϱῶν*. Verum tamen illam lectionem *ὧν εἴην ἐγώ*, quippe quae bis tradita sit, retineam.

v. 26. Nimirum interpolator vel librarius Christianus, si sibi constare volebat, etiam in hoc versu verba Euripidis ad suam rem commutare debuit, quocirca cum Wilamowitzio facio arbitratus Euripidem fortasse haec fere dixisse: 'Itaque cedere nequitiae nolo' pro verbis traditis *ϑανεῖν γε ϭωφϱονῶν*. Eadem res sese habet in sequenti versu, in quo vitium manifestum est; pro *ἐξιέναι* igitur coniecit Wilamowitz *ἐξιών*, et fortasse probabile; sed omnia haec parum certa in tanta interpolationum ad libidinem factarum copia.

Versus, quos modo tractavimus, hac ratione interpretatus est Stahl[4]): „Soll ich denn nun nicht glauben, sogar sterben zu müssen, um rechtschaffen zu bleiben? Doch in diese Lage werde ich nicht kommen; denn ich will hinaus aufs Land, es nützt mir nämlich nichts hier im Hause zu bleiben" . . . et intellexit *ϭωφϱονῶν* esse participium finale praesentis de conatu. Quae nimia interpretandi diligentia quid sibi velit, male perspicere possum. Quam ob rem hunc locum ambiguum

---

1) cf. Nestle: Euripides, der Dichter der griechischen Aufklärung, Stuttgart 1901, p. 220 sqq.

2) cf. fr. 671.

3) F. G. Schmidt: Kritische Studien II, p. 485.

4) Stahl l. c.

ita interpretor: Non igitur puto me, qui sum prudens neque sceleratissimo amore captus, unum esse ex iis, qui hoc amore pereant.

His prologi versibus quantum potuimus emendatis, iam videamus, quid in universum de hoc prologo iudicandum sit.

In eis, quae ab Euripide in tragoedia novata sunt, imprimis commemorandus est prologus, quo quis histrionum vel deus spectatores docet, quae fabula agatur, quid sit usque ad dramatis initium antea iam factum, quo loco fabulae scaena sit, quaeque personae in scaenam prodeant[1]). Etsi Euripides hoc instituto sine ulla varietate ita usus est, ut illuderetur ab Aristophane Acharn. v. 47 sq.; ran. v. 946 sq. et vituperaretur a grammaticis[2]), tamen Euripideis tragoediis prologum maxime necessarium fuisse facile intelleges, si respicies Euripidem plerumque argumenta immutasse atque dilatasse eoque opus fuisse spectatores fabularum materiam ita immutatam antea docere[3]). Sed de hac quaestione viri doctissimi[4]) satis iam subtiliterque egerunt. Nostri nunc propositi est pernoscere, quatenus in hoc Stheneboeae prologo leges, quae in universum de Euripidis prologis statui possunt, a poëta observatae sint.

Bellerophontes, quem prologum recitasse supra exposuimus, sententias primum dicit[5]), deinceps nobis eas res narrat, quae ante initium fabulae acciderunt, i. e. Stheneboeae libidinosam amoris sui declarationem, Stheneboeae nutricis, ut ipse mulieri morigeraretur, incitationem[6]), simulque cum his poëta ostendit, quibus postea dramatis actio excitetur et commutetur. Certiores deinde fimus de quibusdam personis in hoc dramate agentibus, de Proeto dico, rege Tirynthis, et de muliere, quae est in dramate Stheneboeae comes; neque parvi est

---

1) cf. Johannes de Arnim: De prologorum Euripideorum arte et interpolatione, Gryphiswaldae 1882, pp. 83. 93. 100.

2) cf. Eur. vit.: *καὶ ἐν τοῖς πϱολόγοις ὀχληϱός.*

3) cf. Christ-Schmid: Griech. Literaturgesch. 1908[5] I, p. 360; Dieterich apud Paul.-Wiss. s. v. Euripides, p. 1271.

4) Praeter ceteros imprimis commemorandi sunt: Jos. Klinkenberg: De Euripideorum prologorum arte et interpolatione, Bonn. 1880 et Johannes de Arnim l. c.

5) cf. Johannis logothetae verba, quibus Stheneboeae prologi primum et alterum versum explicuit (Mus. Rhen. vol. LXIII p. 147).

6) Ad hoc nutrices saepius operam suam commodare et ex Eur. Hipp. et ex illa narratione intellegimus, quam tradidit Plut. parall. c. 22.

momenti, quod de hac comperimus. Hanc enim personam amicam Stheneboeae eiusdem aetatis esse R. Engelmann[1]) ex illa pictura Pompeiana[2]) concludit, quia ibi eius vestimentum a Stheneboeae non multum differat et illius species formaque huic persimilis sit. Iam vero ex prologi versibus, in quibus haec mulier *τροφὸς γεραιά* appellatur, videmus Engelmanni opinionem reiciendam esse et aeque atque in Hippolyto et in Medea in hac quoque fabula nutricem partes egisse[3]). Omisit vero Bellerophontes, quantum ex servatis versibus apparet, et suum et Stheneboeae nomen cum spectatoribus communicare. Quoniam autem in iis omnibus tragoediis, quae Siculam expeditionem antecedunt, primis statim versibus persona *προλογίζουσα*, quae sit, significat et in fabulis solis, quae post illam actae sunt, saepius hoc Euripides neglexit[4]), etiam in hoc prologo id requirimus, ob eamque rem post v. 6 complures versus excidisse statuimus, quod quidem iam supra p. 30 alia ex re arbitrati sumus. Quod ad locum actionis attinet, hic intra prologum indicari notarique solet pronomine *ὅδε*[5]). Neque hac quidem re in Stheneboeae prologo destituti sumus et Bellerophontes verbis *τοῖσδ' ἐφήμενον δόμοις* (v. 28) satis dilucide indicat scaenam ante domum regiam Proeti i. e. in urbe Tirynthe agi. Requiritur tamen iure loci indicatio[6]). Sed probabilem fortasse hoc excusationem habet, quam infra p. 36 afferemus. Postremo Bellerophontes paucis, quae iam facturus sit, dicit: *ἐξιέναι* vel *ἐξιὼν βουλήσομαι*.

Sunt igitur hoc prologo nobis praeter commemorationem et Bellerophontis et Stheneboeae nominis omnia, quae scire necesse est, nota neque fr. adesp. 454:

σφαγὰς δὲ Δαναοῦ παρθένων Λυγκεὺς φυγὼν
Ἄβαντα φύει διάδοχον τυραννίδος,

1) Engelmann, Archäol. Stud. p. 87.

2) cf. Engelmann: Annal. d. Instit. 1874, p. 32.

3) Itaque fieri non potest, quin corruat etiam altera Engelmanni sententia inde, quod in illa pictura Pompeiana non nutrix sed amica Stheneboeae spectetur quodque eam, quae ex extera terra veniat, non amica sed ancilla comitari soleat, intellegi posse Stheneboeam non Jobatis, Lycii regis, sed Aphidantis, regis Arcadiae, filiam esse (cf. supra p. 8 sq., ubi iam alteram coniecturam Engelmanni comminuimus).

4) cf. Arnim l. c. p. 82.

5) cf. Arnim l. c. p. 83.

6) Wilamowitz l. c. annot. ad v. 6.

quod doctissimi quidam viri vel Danaae vel Stheneboeae prologo tribuunt, in nostrae fabulae prologo collocandum est, quod illarum rerum narratio longius poëtam a proposito abduxisset neque omnino brevioris prologi contextui commodissime apteque inseri potuisset; nam sufficit, quod de hac re Bellerophontes v. 15 sq. dicit. Restat igitur, ut versus, de quibus agitur, aut Danaae aut Bellerophonti tribuamus, quod (i. e. illos versus in Bellerophonte exstitisse) pro certo affirmavit Welcker[1]).

Plerumque in Euripidis fabulis praeter Hecubam, Supplices, Jonem, Bacchas, Cyclopem, Rhesum dialogus soliloquium sequitur, quare verisimile est etiam in Stheneboea dialogum fuisse et quidem inter Bellerophontem et Proetum, qui eo magis requiritur, quia putare debemus Stheneboeam, quam Bellerophontes, priusquam prologum recitavit, propter libidinem reppulit, iam ira inflammatam hunc apud Proetum calumniatam esse[2]), et deinde Proetum, antequam Bellerophontes rus abierit, prodisse in scaenam, ut huic litteras illas, quibus periret, ad Jobatem ferre iuberet. Nimirum prologi verba: *ἀλλ' εἰς ἀγρὸν γὰρ ἐξιέναι βουλήσομαι* per se contra meam sententiam, post prologum inter Bellerophontem et Proetum dialogum fuisse, pugnare videntur; at ei, qui diligenter tragicorum opera perlegit, nihil offensionis hac re offunditur, quoniam saepius accidit, ut histriones aliis rebus ex improviso intervenientibus a proposito ad tempus deterreantur, huc conferas e. gr. Aesch. Pers., ubi senes, qui consilii habendi causa convenerunt, regina a proposito prohibet et Soph. Elect., qua in fabula (v. 1323) Electra hospitibus dicit, ut introeant; sed priusquam hi dicto audientes sunt, v. 1383 *θεράπων* intervenit. Est igitur Bellerophontes Proeto interveniente manere coactus et ubi primum regem conspexit,

1) Welcker: Die griech. Tragöd. vol. II, Bellerophon p. 785.

2) cf. fabulae argum. — In illa opinione, quam Bellerophontes in prologo protulit de nutrice Stheneboeam ad amorem incitante, fortasse etiam certissima ratio est eius suspicionis nutricem esse auctorem falsae criminationis, quam Stheneboea apud regem fecit; quod quidem aptissime conveniret illi Weckleinii coniecturae, quam fecit in ed. Eur. Hipp. p. 13 annot. 2 de Hippolyto velato, cum dicit: „Dass im 1. Hippolyt die Verleumdung von der Amme ausgeht, kann man aus Hippol. v. 705: *ἀλλ' ἔστι κἀκ τῶνδ' ὥστε σωθῆναι, τέκνον* in gewissem Sinne schliessen.“

haud scio an haec verba dixerit, quae Nauck inter adespota (fr. 292) collocavit:

χαῖρ', ὦ δυνάστα τῆσδε γῆς Τιρυνθίας.

Ut hac sententia utar, permotus sum potissimum illis verbis, quibus Lucianus illum versum affert, cf. Luc. *ὑπὲρ τοῦ ἐν τῇ προσαγορεύσει πταίσματος* vol. I cap. 2 p. 726 (ed. Sommerbrodt vol. II p. 110): *πρῶτον μὲν ἰδόντες ἀλλήλους ἔλεγον αὐτό* (scl. *τὸ χαίρειν*), *ὡς τὸ 'χαίροις — Τιρυνθίας'*.

pro *χαίροις* cod. F coni. Nauck *χαῖρ' ὦ*, idem pro *τῆς* cod. F *γῆς*.

Πρῶτον μὲν ἰδόντες ἀλλήλους dicit Lucianus atque in Euripidis fabulis saepius accidit, ut ii, qui diu aliquo fato seiuncti erant, in dramate se reperientes et recognoscentes ita salutem inter se dicant[1]). Ut igitur haec mutua recognitio vel *ἀναγνωρισμός*[2]), quem vocant, in hoc quoque dramate intellegi possit, statuamus necesse est Proetum diu domo afuisse, priusquam cum Bellerophonte convenit, atque hoc eo verisimilius est, quia facile hac ampla occasione data Stheneboea Bellerophontem ad impudicum amorem pellicere potuit. Iam vero simul videmus, cur Euripides in prologo Bellerophontem non Tirynthis urbis nomen appellantem fecerit. Hoc illo loco supervacaneum erat, quia in hac scaena poëta Proetum, Tirynthis regem, quasi introduxit. Atque hoc quoque optime ad artem Euripidis quadrat, qui saepius nonnulla eorum, quae ad expositionem pertinent, non in prologo sed in sequenti scaena spectatoribus proposuit[3]).

Non dubium igitur est, quin dramatis actio ordiatur inde ab hac scaena, in qua Bellerophontes a Proeto litteras accipit et in Lyciam ad Iobatem mittitur[4]). Sed quoniam Bellerophontis partes postea, ut ex argumento intellegimus, in tragoedia requiruntur, cum Bellerophontes Stheneboeam secum in Pegaso auferat et in mare praecipitet, maiores difficultates exstare videntur, quarum unam recte observasse sibi visus est Wilamowitz, cum dicit[5]):

1) cf. Arnim l. c. p. 85.

2) De anagnorismo cf. quid exposuit P. Hoffmann in dissertatione cognomini, Vratislaviae 1910.

3) cf. Arnim l. c. p. 85.

4) cf. Wilamowitz l. c. p. 228.

5) Wilamowitz l. c. p. 231.

'Nemo enim aut suspicatus est aut suspicari poterat, temporis quam dicere consuevimus unitatem ab ullo Graecorum tragico tam graviter laedi potuisse. Nam postquam Bellerophontes in Cariam abiit non tantum menses praeterlabuntur, sed Stheneboea longo tempore mutata est, cum denuo in scaenam prodit'. Altera difficultas posita est in extremis prologi versibus:

οὐδ' αὖ κατειπεῖν καὶ γυναικὶ προσβαλεῖν
κηλῖδα Προίτου καὶ διασπάσαι δόμον.

Verbi *κηλίς* notio est *μίασμα* i. e. „Befleckung" vel labes, quae scelere capitali efficitur. Nihil aliud igitur primo obtutu haec verba, de quibus agimus, sibi velle videntur nisi Bellerophontem mulieri crimini daturum non esse, quod ab hac calumniis apud Proetum affectus a rege in Lyciam ut periret missus sit, vel, ut sententiam ad verba Graeca artius adstringam, Bellerophontem mulieri perfidiam Proeti non esse exprobraturum. Sic reapse sensus huius loci procedere videtur, nisi forte verbum *Προίτου* non ad verbum *κηλῖδα* sed ad verbum *γυναικί* trahere vis. Cui interpretandi rationi quamquam non prorsus mendum obici potest tamen difficultates quaedam se inculcant aut mira saltem haec verborum coniunctio est, quia in his verbis legendis et recitandis nemo non sua sponte post *προσβαλεῖν* in fine versus paulum interquiescit, ut vocem *Προίτου*, quae praeterea verbis *προσβαλεῖν κηλῖδα* ab voce *γυναικί* seiuncta est, cum hac non nisi magna cum difficultate coniungi posse censeam[1]), ut praetermittam me huius rei exempla apud tragicos frustra quaesivisse. Cuius rei cum causae a nobis propositae non reici posse videantur rationibus satis firmis, illi prologi versus primo aspectu Wilamowitzii non tam labefactare quam funditus tollere videntur disputationem. Atque concedo me ipsum his rebus respectis Wilamowitzii opinioni, drama initium fecisse ab Stheneboeae criminatione, initio diu esse obnisum[2]). Nunc verum omnibus in utramque

1) Possit fortasse aliquis conari *Προίτου* etiam cum sequenti *δόμον* iungere. Sed praecedente voce *δόμοις*, cuius domum Bellerophontes in animo habeat, tam manifestum est, ut verbum *Προίτου* supervacaneum sit.

2) Putavi enim fabulam ipsam priores calumnias Stheneboeae non exhibuisse, sed a reditu Bellerophontis ex Lycia principium duxisse. Atque videntur idem de fabulae structura sentire Welcker: Griech. Trag. II p. 779 et Wecklein: Sitzungsber. d. kgl. bayr. Akadem. d. Wissensch. z. München 1888, I p. 101.

partem argumentis animo volutatis idem sentio quod ille vir doctissimus, quia prologi versus, quamquam in verbis ita inter se colligendis et suspensis ut supra exposuimus perstem, tamen optime explanari possunt, et quod ad unitatem temporis in hoc dramate gravissime laesam attinet, Wilamowitz nodum in scirpo quaesivisse mihi videtur. Ac primum quidem nos ad versus supra tentatos nunc explanandos vertamus. Verbum *κηλῖδα* non bene pertinere ad insidias, quas Proetus Bellerophonti struxit eo, ut eum ad Jobatem mitteret, per quem periret, ex fabulae structura haud incerta manifestum fit. Ad aliam autem probabilem hos versus interpretandi rationem nobis ansas dant Eur. Suppl. vv. 221 sqq. (ed. Hartung):

> *ἧς καὶ σὺ φαίνει δεκάδος, οὐ σοφὸς γεγώς,*
> *ὅστις κόρας μέν, θεσφάτοις Φοίβου ζυγείς,*
> *ξένοισιν ὧδ' ἔδωκας ὡς ζώντων θεῶν,*
> *λαμπρόν τε θολερῷ δῶμα συμμίξας τὸ σὸν*
> *ἥλκωσας οἴκους· χρὴ γὰρ οὔτε σώματα*
> *ἄδικα δικαίοις τὸν σοφὸν συμμιγνύναι,*
> *εὐδαιμονοῦντας δ' ἐς δόμους κτᾶσθαι φίλους.*
> *κοινὰς γὰρ ὁ θεὸς τὰς τύχας ἡγούμενος*
> *τοῖς τοῦ νοσοῦντος πήμασιν ξυνώλεσεν,*
> *τὸν οὐ νοσοῦντα κοὐδὲν ἠδικηκότα.*

Ex his enim versibus discimus apud veteres Graecos pervagatam opinionem fuisse, una cum noxio etiam eum, qui illum excipit, quasi pari scelere se obstringere ob eamque rem pari poena affici. His expositis, dummodo Stheneboeae versus, de quibus agitur, contemplemur, proxime ad verum accedit etiam in his eandem communis sensus consuetudinem inesse et quasi Stheneboeae, libidinosae mulieris, *κηλῖδα* ad maritum excucurrisse; quam ob rem Bellerophontes iure dicere potuit, sese mulieri crimini daturum non esse, quod huius impudicitia Proetus aspersus et inquinatus sit[1]).

Quibus de versibus quoniam nullus scrupulus iam residere mihi videtur, ad alteram difficultatem auferendam accedamus.

1) Ceteroquin spectes adstrictae elegantiam brevitatis, quod quidem est Euripidis proprium, cf. e. gr. Iph. T. v. 1200: *κηλὶς μητροκτόνος*, v. 1139: *εὐάλιον πῦρ*: Uno vel duobus verbis *κηλῖδα Προίτου* comprehendit poëta, quae compluribus enuntiationibus ab aliis dicuntur.

Ecce nos ad id deducti sumus, quod breviter iam adumbravi in praefatione ad hanc commentationis partem, ut quaeramus, quomodo tragici Graeci unitatem temporis observaverint numque, quae de unitate temporis in hac fabula ab Euripide graviter laesa tam certa exposuisse sibi videtur Wilamowitz, vere tam integra sint, ut dubitatio non possit oriri, quam eo minus silentio praeterire mihi licet, quo plus viro de Euripidis fabularum interpretatione et explanatione meritissimo tribuere soleo. Et quid dices, si hanc rem plane in contrarium vertero? An minore iure hoc mihi licebit? Quamquam concedam, huius quaestionis nihil esse, quod non sit plurimis et maximis difficultatibus obnoxium, tamen hanc rem ad finem nos perducturos esse persuasum habemus, siquidem via ac ratione ad id, quod petimus, procedemus.

Ac primum quidem ad Aristotelem nos convertamus, quem omnino earum quaestionum, quae ad tragoediam Graecam spectent, auctorem iure habemus. Aristoteles enim in opere, quod inscribitur: *περὶ τέχνης ποιητικῆς*, procul dubio, ut probabilissime docuit Theodorus Bergk[1]), de temporis spatio tragoediae hisce verbis agit (c. 5, p. 1449 b 12): *ἔτι δὲ τῷ μήκει· ἡ μὲν* (sc. *τραγῳδία*) *γὰρ ὅτι μάλιστα πειρᾶται ὑπὸ μίαν περίοδον ἡλίου εἶναι ἢ μικρὸν ἐξαλλάττειν, ἡ δὲ ἐποποιία ἀόριστος τῷ χρόνῳ*[2]).

Ab his Aristotelis verbis profectus Guilelmus Felsch[3]) de quaestione, quibus artificiis adhibitis poëtae tragici Graeci unitates illas et temporis et loci observavissent, disceptavit et hunc finem assecutus est, ut statueret poëtas tragicos Graecos diversissimis artificiis adhibitis id animo intendisse, ut per totam fabulam unus dies teneretnr i. e. plerumque fabularum actio mane inchoaretur et eo ipso die omnia,

1) Th. Bergk: Griech. Literaturgeschichte vol. III, p. 203 annot. 57.

2) Haec post verba *ἡ μὲν γὰρ* Bergk supplere posse putavit verbis *ἐν ἐλάττονι μήκει τὸ τέλος τῆς μιμήσεως ἔχει· διὸ καὶ...*, cum Vahlen in editione Aristot. art. poët. (Lipsiae 1885) p. 116 verba: *ἔτι τῷ μήκει ἡ μὲν ὅτι μάλιστα πειρᾶται* in unam sententiam comprehendi posse probaret. Praeterea cf. quae de his Aristotelis verbis exposuit F. Brunetière: L'evolution des genres dans l'histoire de la littérature, Paris 1890, pp. 68. 69.

3) Guilelmus Felsch: Quibus artificiis adhibitis poëtae tragici Graeci unitates illas et temporis et loci observaverint (Breslauer philolog. Abhandlungen ed. R. Foerster vol. IX, 4, Breslau 1907).

quae in fabula aguntur, ad finem perducerentur. Quam rem quoniam hic vir doctus summa cum sagacitate tractavit et ad finem perduxit, ne iam acta denuo agere videar, missam faciam. Sed alia res mihi non prorsus silentio praetereunda est: Aeschylus, Sophocles, Euripides spatiis temporum plane neglectis in unum diem res compresserunt, quae si re vera gestae essent, complures dies obtinuissent. Hanc rem Felsch tragicis poëtis concessit et certe suo iure, potissimum autem Euripidi, quippe qui actionum varietate fines dramatis augere studeret ob eamque rem duas vel complures catastrophas locis temporibusque separatas intra tragoediae fines cogens verum temporis spatium neglegere cogeretur. Attamen hic quaerat quispiam, num hoc haud in magno posuerint discrimine Athenienses, si re vera haec poëtarum neglegentia, utpote quae in agendis rebus manifestius sentiatur quam in legendis [1]), in dramate tam aperta fuisset, ut manibus quasi teneri posset. Immo hoc in Atheniensium, quos omnium artificiorum subtiles et callidos iudices fuisse constat, offensionem incidisset, nisi poëtae, quoad non ipsa dramatis actione haec neglegentia obtegebatur aut excusabatur, artificiis adhibitis id effecissent, ut spectatores haec temporis spatii neglectio aut plane fugeret aut ab iis non tam graviter sentiretur. Neque in hac quidem re exquirenda prorsus nova moliri mihi videor, quoniam hic illic viri docti eam attigerunt; attamen operae pretium esse videatur de hac re coacervatim agere.

Ac primum quidem pedem subsistamus in tragoediis Aeschyli, cuius in Agamemnone unus ex illustrissimis philologis C. O. Mueller [2]) id offendit, quod uno et eodem die nuntius Troiae expugnatae flammis ex incendio longinquo Athenas perveniret (cf. v. 290 sqq.)

Sed huic rei opponi potest etiam ab aliis scriptoribus narrari, quam celerrime eiusmodi signa nuntium quendam dissipare possint; liceat mihi unum tantum exemplum luculentissimum ex Caesaris septimo de bello Gallico libro afferre; sane hic non igne sed clamore signum datur, quod discrimen nimirum non magni ponderis est, quoniam igne, qui longe lateque

1) cf. Home: Elements of criticism, Edinburg 1763, III p. 299.

2) C. O. Mueller: ed. Aesch. Eumenid., Goettingen 1833, p. 106.

fulget, celerius spargi potest nuntius quam exili hominum voce; legimus autem in illius libri capite tertio:

'Postquam enim Carnutes Cenabi concurrentes cives Romanos et in his Gaium Fufium Citam, honestum equitem Romanum, interfecerunt, celeriter ad omnes Galliae civitates fama perfertur. Nam, ubi quae maior atque illustrior incidit res, clamore per agros regionesque significant, hunc alii deinceps excipiunt et proximis tradunt; ut tum accidit. Nam quae Cenabi oriente sole gesta essent, ante primam confectam vigiliam in finibus Arvernorum audita sunt, quod spatium est milium passuum circiter centum LX.'

Tantum aberat, ut Aeschylus rem improbabilem doceret, ut ipse contra demonstraret, facile tam brevi tempore nuntium Athenas ferri potuisse. Quod ut eluceat considerandum est, quomodo in diverbio chori et Clytaemestrae (v. 290 sqq. ed. Wecklein) sententiae procedant. Recte enim Henricus Keck [1]) exposuit: Postquam Clytaemestra choro interroganti (v. 286), num in somniis viderit Troiam expugnatam esse, hoc negavit, hic iam id solum credere debet, noctu verum nuntium allatum esse; quae cum ita sint, ei persuasum est, iam multo ante, ut nuntius adesse possit, urbem expugnatam esse debere, quare interrogat v. 290:

ποίου χρόνου δὲ καὶ πεπόρθηται πόλις;

et cum Clytaemestra respondeat:

τῆς νῦν τεκούσης φῶς τόδ' εὐφρόνης λέγω,

chorus iterum quaerit miratus:

καὶ τίς τόδ' ἐξίκοιτ' ἂν ἀγγέλων τάχος;

Sed chorus postquam comperit ignibus nuntium allatum esse noniam in iis, quae Clytaemestra dixit, offendit; is, qui antea a rebus incertis assensionem cohibuit, Clytaemestrae narrationem probabilem esse iam persuasum habet. Et nos de his rebus dubitemus?

Sed viri docti et alium locum offensionis in hoc dramate indagarunt. C. O. Mueller l. c. lectores monet iam postquam modo ignibus de Troiae expugnatione certiores facti simus, carmine interposito nuntium, qui id quod incendia indicaverint testatus narret Agamemnonem a cursu suo in patriam tempe-

1) H. Keck: ed. Aesch. Agam., Lips. 1863, p. 258.

state deiectum esse, advenire (v. 508) et dein Agamemnonem ipsum, postquam chorus iterum carmen cecinerit, salvum reverti (v. 801). Nimirum non negari potest poëtam temporis spatium plane neglexisse. Atque id viderunt iam dudum veteres grammatici[1]). Attamen nonne haec difficultas excusationem quandam habeat et id, quod absurdum nobis videtur, remitti quodam modo possit, dummodo oculorum aciem in ea, quae in scaena aguntur, intendamus? Quoniam ars dramatica iis rebus potissimum excellit, quibus animus spectantium efficacius inflammari potest, acri dico et vehementi quadam incitatione, ita etiam nuntius Troiae captae iam omnium cogitationes et mentes in Agamemnonis exercitusque victoris adventum direxerat. Haec trepida exspectatio atque desiderium iis, quae chorus senium de causa belli Troiani, de luctuosa multorum Graecorum morte canit et quae Clytaemestra loquitur, significatur atque 'divino cantico a laetitia sensim ad diva praesagia traducimur'[2]). Augetur autem haec exspectatio inter spem metumque fluctuans praeconis narratione expugnationis Troiae et Agamemnonis calamitatis, dum, cum exspectatio in summa est, Agamemnon ipse revenit. Quae simodo nobis reputamus et cogitatione fingimus nos Atheniensium loco esse, nosmet ipsi tantopere omnibus, quae acciderunt in scaena, commoti essemus, ut non magis quam Athenienses indigna deliberatione reputaremus vix iam Agamemnonem reverti potuisse, et eo minus rem improbabilem sentimus, quod Agamemnon in hoc dramate nondum partes egit, ideoque hic, uti omnis nova in scaenam prodiens persona, quae praeterea iam multo ante indicata est, suspensis animis desiderabatur. Vidimus igitur unam difficultatem, quam in ignis signorum celeritate spectaverunt viri docti, facile removeri posse, alteram autem sane non totam auferri, attamen minui et excusari.

Vertamus deinde ad Aeschyli Eumenides, qua in fabula viri docti invenerunt unitatem temporis eo laesam esse, quod fabula in duas partes dilacerata esset, quarum una Delphis, altera aliquantum temporis post Athenis ageretur[3]). Quodsi Mueller

1) cf. schol. ad v. 509: *τινὲς μέμφονται τῷ ποιητῇ, ὅτι αὐθημερὸν ἐκ Τροίας ποιεῖ τοὺς Ἕλληνας ἥκοντας.*

2) cf. Wilamowitz l. c. p. 231.

3) cf. C. O. Mueller l. c. p. 106; O. Nilsson: De mutationibus scenae, quae sunt in fabulis Graecorum, Lund 1884, p. 25 sq.

omnino Aeschyli artis poëticae esse censet unitates externas dramatis neglegere, nos huic sententiae non obloquamur. Tamen videamus secundum propositum nostrum, num fortasse etiam huius neglegentiae quidquam excusationis inveniamus. Si eam partem dramatis usque ad scaenae mutationem tendentem perscrutamur, multum iucunditatis habet, quod Aeschylus tam severe id studuit, ut rebus staret. Orestes iam post v. 93 furiis dormientibus Apollinis iussu de scaena abiit. Debet enim, ut Athenas confugere possit, longius spatium fuga praecipere. Tum, cum Orestes abiit, Clytaemestrae umbra furias exsuscitat, quae non statim sed cantico et dialogo demum cum Apolline interiecto post v. 231 de scaena decedunt. Iam inde intellegimus Aeschylum sic res ponere studere, quasi vere acciderint non quasi narrentur. Atque hoc aliis rebus confirmatur. In veterum Graecorum dramatibus numquam fere chorus de scaena abit[1]) ob eamque rem actio sine ulla intermissione intervalloque in scaena perpetuatur[2]); chorus enim canticum agere solet, quo earum rerum, quae actae sunt, memoria spectatoribus ante oculos ponitur et animi commotiones, quae sequuntur, praeparantur[3]); quare equidem negem, chori cantico probabilitatem actionis auferri[4]), nam dum chorus carmen canit, foris i. e. extra scaenam vel intra domum quaedam geri fingamus necesse est, quae nos attentissime per chori carmina animo persequimur et cum res in scaena iterum oriuntur, actionem plerumque iam porro productam esse animad-

1) cf. Horat. de arte poëtica v. 204; A. W. v. Schlegel: Vorlesungen über dramatische Kunst und Literatur, XVIII. Vorlesung (II, p. 28 ed. Böcking). Ter tantum apud tragicos Graecos chorus de scaena decessit, semel apud Sophoclem, Ai. v. 814, et bis apud Euripidem, Alc. v. 747 et Hel. v. 386, cf. Leo: Der Monolog im Drama (Abhandl. d. kgl. Gesellsch. d. Wissenschaften z. Göttingen, phil.-hist. Cl. X, 1908 pp. 12. 15. 33).

2) Nimirum post soliloquium initio dramatis apud tragicos, priusquam sequens persona vel chorus in scaenam progrediuntur, intermissionem quandam saepius exstare non negari potest, tum potissimum, cum persona, quae soliloquium habuit, abit sequentem personam non indicans utique apud Aeschylum in Agamemnone, ubi postquam custos abiit chorus senum sensim appropinquat, et apud Euripidem in Iphigenia Taurica, ubi postquam Iphigenia in templum intravit, Orestes et Pylades caute circumspicientes tarde in scaenam progrediuntur (cf. Home l. c. p. 320).

3) cf. Home l. c. p. 313.

4) Haec enim est sententia Homii l. c. p. 312.

vertimus. Quodsi praeter consuetudinem[1]) Aeschylus in medio hoc dramate chorum de scaena abientem facere et scaenam aliquantum temporis vacuam relinquere debuit, id effectum est, quod tam acute egregieque exposuit Home[2]) hisce verbis, quae huc transscribam: „In a word, after an interruption of the representation, it is not more difficult for a spectator to imagine himself carried to a new place, or to a distant period of time, than at once, when the scene first opens, to be carried from London to Rome, or from the present time two thousand years back". Et pariter atque hodie protracto aulaeo inter singulos actus quisque spectatorum tantum, quantum ipsi lubeat, temporis intervallum intercessisse sibi fingere potest, etiam illis Aeschyli temporibus idem senserunt spectatores. Si noster ea, quae Delphis gerebantur, a scaena remota tantummodo narrando animis spectatorum obduxisset, meo quidem iudicio nihil tibi fabulam perlegenti occurrat, quod vel levis offensionis det ansas. Quid vero? Num hoc haberet eandem admirationem, quam drama ab Aeschylo compositum? Minime id quidem! Maiorem enim animi commotionem, quod quidem est fabulae antiquae proprium[3]), dabat illa scaena Delphica, quam earum rerum narratio. Postquam igitur omnes qui in scaena aderant eam reliquerunt, intervallum, quod quantum fuerit nescimus[4]), interpositum est et deinde res porro tractantur. Atque videtur prior pars dramatis prooemii vel praelusionis loco animos ad alteram partem componere, in qua, quod summum tragoediae est[5]), Areopagus a Minerva instituitur.

Ad Sophoclis tragoedias nos iam convertentes unum quantum video exemplum proferre possumus, quo temporum intervalla quodammodo a poëta neglegi manifestum est: Uno enim die

1) Intercapedinem agendi rarissimam fuisse ex schol. annot. ad v. 33 rectissime concludit Nilsson l. c. p. 14 annot. 1.

2) Home l. c. p. 305.

3) cf. Aristotelis verba persaepe in controversiam vocata: art. poët. p. 1449 b 24 sqq. Huc conferas F. Knoke: Begriff der Tragödie nach Aristoteles, Berlin 1906, p. 56 sq.

4) schol. ad Eum. v. 33 annotavit: *παρ' ὀλίγον* ἔρημος ἡ σκηνὴ γίνεται. οὔτε γὰρ ὁ χορός πω πάρεστιν, ἥ τε ἱέρεια εἰσῆλθεν εἰς τὸν ναόν.

5) cf. G. Felsch l. c. p. 14.

primum Hyllus Trachine Cenaeum in Euboea sitam proficiscitur, deinde Lichas idem facit iter, postremo Hercules ipse ex Euboea domum transportatur[1]). Praeterquam quod si Wilamowitz[2]) de magno inter Cenaeum Trachinemque intervallo loquitur, id non satis congruit cum iis, quae in Soph. Phil. vv. 488 sqq. legimus:

ἀλλ' ἢ πρὸς οἶκον τὸν σὸν ἔκσωσόν μ' ἄγων
ἢ πρὸς τὰ Χαλκώδοντος Εὐβοίας σταθμά·
κἀκεῖθεν οὔ μοι μακρὸς εἰς Οἴτην στόλος
Τραχινίαν τε δειράδα καὶ τὸν εὔροον
Σπερχειὸν ἔσται,

tamen etiam argumentis ex intimis visceribus, ut ita dicam, fabulae sumptis demonstrari potest poëtam ex illis difficultatibus summo ingenio sese extricasse et res in scaena gerendas, quantum potuerit, ad veritatem applicasse; atque id eo effecit, quod eandem personam, quae modo de scaena abiit, non brevi post iterum in scaena agentem faciebat, sed quod hae longiore demum temporis intervallo intermisso revertuntur: Hyllus enim postquam in Euboeam abiit, ut patrem quaereret et adiuvaret, carmine a choro cantato nondum Trachinem revertitur, sed videmus Hylli loco Licham in scaenam progredientem, qui Herculis adventum indicat; et Hyllus tum demum revenit, ut Deianirae nuntiet, quod malum Nessi consilio funesto eius medicamine, quod Lichas uxoris iussu Herculi transportavit, marito profectum sit. Hoc artificio a poëta actionem variari et augeri neque potissimum a spectatoribus res in scaena actas, quippe quibus praeterea valde teneantur, vero proximas non esse magnopere sentiri, nemo est quin concedat. Haec mihi proferenda erat ars, qua Sophocles effecit, ut spectatoribus a verisimili rerum statu actionem non longe abhorrere videretur.

Ad Euripidem aggressi primum quidem in eius Andromacha pedem subsistamus, utpote quae fabula omnibus temporibus omnium philologorum dissensionem evocaverit. Iam pridem Godofredus Hermann in praefatione editionis Euripidis Andromachae (Lipsiae 1838) p. 18 sqq. male compositam esse fabulam dixit et eum praeter ceteros quodammodo nuperrime Wilamowitz[3]) secutus

1) cf. Felsch l. c. p. 30.

2) Wilamowitz l. c. p. 231.

3) Wilamowitz l. c. p. 231.

est. Offenderunt enim viri docti id potissimum, quod Orestes eo ipso die forte Phthiam adveniret, quo Neoptolemum Delphis trucidatum esse eo renuntiaretur, et quod statim corpus Neoptolemi afferretur. Atque concedamus Hermanno eam, quae in Neoptolemi interitu versetur, actionem magnopere festinatam esse videri, sed mira mihi quidem ille vir doctissimus protulisse videtur dicens [1]: 'Nam simulatque audivit Peleus mortem Delphis parari Neoptolemo, adsunt nuntii corpus mortui afferentes'. Quibus verbis vix aliud quidquam Hermann putare potest, nisi caedem Neoptolemi eo ipso tempore, quo chorus de ea loqueretur (v. 1063), perpetratam esse. Quam falsa autem haec opinio sit, haud difficile est intellectu, praesertim cum ne minimas quidem ansas ad hanc sententiam confirmandam in Euripidis verbis inveniamus. Chorus enim repetit tantum Orestis verba, qui quid Delphis fecisset atque instituisset quidque inde sequi necessarium esset, narravit neque dixit, quo tempore Neoptolemi caedes fieret. Hoc tempus potius ex intima rerum natura atque causarum serie obiter computare licet conicientibus nobis Orestem Neoptolemi interficiendi consilio adornato Phthiam profectum esse, ut Hermionam, quae ei a Menelao olim desponsata erat, conveniens videret, num tandem sponsam matrimonio sibi iungere et secum abducere posset, Neoptolemi caedem autem, dum Orestes in itinere esset, a Delphis perfectam nuntiumque earum rerum Phthiam relatum esse brevi postquam Orestes Phthiam advenisset. Quam suspicionem, quae quidem est simplicissima, quominus proferamus, nihil nos impedit simulque videmus omnes difficultates, quas viri docti offenderunt, sublatas esse. Adhuc aesthetico, quod dicunt, solo iudicio nixi statuimus ab Euripide in hac fabula verum temporis spatium non laesum esse; apparet autem hoc multo aptius ex ipsa fabulae structura, unde velut e primo fonte omnia, quae quidem ad cognitionem scaenicam pertinent, sunt deducenda. Postquam enim a choro Peleus audivit ab Oreste nepoti insidias structas esse, statim nuntium Delphos ire iubet, qui cum Neoptolemi amicis ibi viventibus Orestis consilium communicet; sed iam nuntius profecturus est, cum celeriter nuntius Delphis in scaenam prodit et de iis, quae ibi acciderunt, Peleum certiorem facit. Nobis quaerentibus, quocirca

1) cf. G. Hermann l. c. p. 14.

Euripides hunc nuntium Delphis venientem induxerit, facile responderi potest non alia de causa nisi ut rebus staret. Si enim is, quem Peleus Delphos mittere voluit, eo abisset, longum temporis spatium praeterisset, dum ille inde revertisset; hoc igitur lapsu poëta supersedebat suo tempore alterum nuntium inducens. Videmus igitur ex iis, quae modo exposuimus, poëtas tragicos nuntios vel *ῥήσεις ἀγγελικάς*, quas dicunt, adhibuisse, cum ut res alio loco alioque tempore gestas spectatoribus exponerent [1], tum ut temporis spatium verisimile observarent.

Neque adversatur me quidem iudice Euripidis Hecuba bonae tragicae artis rationi, quae quidem attinet ad temporis spatium haud nimis laedendum. De huius fabulae compositione accuratius egit Godofredus Hermann in editione Euripidis Hecubae atque oblocutus est Musgravio, qui scaenam dramatis modo in Chersoneso modo in Troade esse finxit:

In Chersoneso enim rem geri probant vv. 33 sqq.:

τριταῖον ἤδη φέγγος αἰωρούμενος,
ὅσονπερ ἐν γῇ τῇδε Χερσονησίᾳ
μήτηρ ἐμὴ δύστηνος ἐκ Τροίας πάρα.

vv. 770 sq.:

εἰς τήνδε χώραν, οὗπερ ηὑρέθη θανών.
πρὸς ἄνδρ' ὃς ἄρχει τῆσδε Πολυμήστωρ χθονός;

vv. 1140 sqq.:

γνόντες δ' Ἀχαιοὶ ζῶντα Πριαμιδῶν τινα
Φρυγῶν ἐς αἶαν αὖθις ἄρειαν στόλον
κἄπειτα Θρῄκης πεδία τρίβοιεν τάδε,

in Troade autem, ut Musgravius putat, vv. 136 sqq.:

μηδέ τιν' εἰπεῖν παρὰ Περσεφόνῃ
στάντα φθιμένων
ὡς ἀχάριστοι Δαναοὶ Δαναοῖς
τοῖς οἰχομένοις ὑπὲρ Ἑλλήνων
Τροίας πεδίων ἀπέβησαν.

1) Supersedere possum hac quaestione accuratius tractanda, quoniam multi viri docti id operam dederunt, cf. quos commemorat Felsch l. c. p. 42, annot. 2. Satis habeo monuisse tragicos Graecos non solum, ut res alio loco aliisque temporibus actas in unius diei circulum cogerent, nuntios adhibuisse, verum etiam potissimum ea de causa, ne actio ab verisimili rerum statu nimis abhorreret.

vv. 992 sq.

. . . καὶ γὰρ Ἀργεῖοι νεῶν
λῦσαι ποθοῦσιν οἴκαδ' ἐκ Τροίας πόδα.

At recte contra Musgravium mihi statuisse videtur Hermann haec verba, quae ad suam opinionem probandam attulit Musgrave, propter poëticam licentiam non magis ad Troadem ipsam quam ad Troianam expeditionem spectare posse, quam ob rem illi soli versus, qui scaenam in Thracia fuisse testantur, hanc quaestionem inclinant. Quae cum ita sint hoc loco haec sola subdifficilis quaestio relinquitur, quid de Polyxenae immolatione in Achillis tumulo facta censendum sit. Plerique enim viri docti putant Polyxenae immolandae causa Graecos Troiam revertisse atque sequuntur in hac opinione scholiastae annotationem ad v. 522: *πῶς τοῦ Ἀχιλλέως ἐν Τροίᾳ ταφέντος, ὁ Ταλθύβιος λέγει πρὸ τύμβου τοῦ Ἀχιλλέως ἵστασθαι τοὺς Ἕλληνας ὄντας ἐν Χερρονήσῳ; καὶ φαμέν, ὅτι . . . εἰς Τροίαν ἀνῆλθον καὶ ἔθυσαν τὴν κόρην.* Si autem tali modo rem actam esse crederemus, Euripidi nobis concedendum esset, gravissime temporis spatium, quo ad perficiendum in Troade sacrificium opus erat, neglexisse, cuius difficultatis non aliam excusationem invenire possumus nisi quam protulit Hartung[1]) temporis spatium callide a poëta nullam itineris navigationisque mentionem faciente celatum esse. Sed ipsum hoc Euripidis silentium nobis ni fallor ad contrariam opinionem probandam ansas praebet. Neque enim dubium esse mihi videtur, quin Euripides si ita rem instituisset, ut Graecos Troiam redientes faceret, huius rei paucis mentionem fecisset. Quae cum ita sint Hartungii sententia graviora scholiastae verba esse duco, quae in eadem annotatione leguntur, quam supra transscripsimus: . . . *καὶ φαμέν, ὅτι ἢ κενοτάφιον ἐν Χερρονήσῳ ἐποίησαν* . . . Erat enim in moribus et institutis Graecorum et Romanorum positum ut ei, qui peregrina morte periit cuiusque corpus reperire et in patriam ferre nequiverunt, cenotaphium i. e. monumentum sepulcrale, quo corpus non continetur, memoriae causa facerent[2]). Hoc igitur instituto tam usitato accuratius describendo vel omnino commemorando facile Euripidem supersedere potuisse nemo est quin concedat, quoniam

1) Hartung: Eur. restit. I p. 516.
2) cf. Hermann-Bluemner: Griechische Privataltertümer ^{3} p. 375. De

spectatores, cum Euripides nihil de immolatione in Achillis tumulo i. e. Troiae facta diceret, non nisi cenotaphium cogitatione fingere potuerunt. Ad hanc opinionem probandam poëtam res in Chersoneso gestas finxisse accedit, quod ex vv. 609 sqq.:

σὺ δ' αὖ λαβοῦσα τεῦχος, ἀρχαία λάτρι,
βάψασ' ἔνεγκε δεῦρο ποντίας ἁλός,
ὡς παῖδα λουτροῖς τοῖς πανυστάτοις ἐμὴν
νύμφην τ' ἄνυμφον, παρθένον τ' ἀπάρθενον
λούσω προθῶμαί θ'· ὡς μὲν ἄξια, πόθεν;
οὐκ ἂν δυναίμην· . . .

elucet Polyxenam in Thracia immolatam esse, quoniam mater, ut filiam lavare possit, ministram aquam marinam afferre iubet, quod quidem supervacaneum et ineptissimum fuisset, si Polyxenam Troiae Graeci immolassent, nam quorsum Hecuba aquam ex Thracia Troiam deportasset? Quibus expositis vertamus nos ad aliam huius fabulae partem, in qua nonnemo offendit; dicit enim Hartung[1]): 'Temporis spatium, quo Polymestor ex Thracia arcessitur, sane longum carmine expletur, quo chorus ut in prioribus duobus ad primariam et communem calamitatem recurrit, ex qua mala singulorum pendent'. Neque vero equidem video, quo ex loco Hartung concludere velit Polymestorem longe ex Thracia Hecubae voluntate arcessitum esse. Dixit potius hic ipse v. 963 sqq. sese in media Thracia fuisse, cum Hecuba in Chersonesum venisset — quod iam ante complures dies accidisse nos fingere licet — ubi primum autem inde revenisset, sese famula petente ad Hecubam cum liberis suis festinasse. Atque hunc statim adesse potuisse vel verisimillimum est, quia certe post reditum ex Thracia, cum esset socius et amicus Graecorum, haud procul ab Graecorum exercitu versatus est.

Iam ut ad Euripidis Supplices transeamus bis poëtam unitatem temporis plane neglexisse viri docti enucleaverunt. Ac primum quidem offendunt, quod brevi carmine longum temporis spatium expleatur, quo populi contionem Theseus con-

quibusdam lapidibus inscriptis in memoriam eorum, qui in mari perierunt, cf. Michaelis: Archäol. Zeitung XXIX, 1871, p. 142 sqq.
1) Hartung l. c. I p. 523.

vocet, rem exponat, in suffragia mittat tribus, exercitum conscribat, ad Callichori puteum Eleusinis copias conducat [1]). Videtur autem mihi quidem haec res in peiorem partem esse accepta, quam revera sese habet. Si enim omnia haec, quae in dramate acciderunt, in rerum veritate versarentur, paucis horis perfecta essent, quod res rem excipit, atque hac de causa simul respicientes, quae supra (p. 43) de chori carminibus monuimus, facile eiusmodi neglegentiam poëtae concedere possumus [2]). Deinde Euripidem audaciorem in ulteriore fabulae parte fuisse dicunt, quia dum chorus carmen agit, Theseus Thebanos devincit. Neque huius neglegentiae excusationes proferre viri docti omiserunt; Welcker [3]) enim dicit: „Vielleicht opferte Euripides sie (i. e. unitatem temporis) nur dem überwiegenden politischen Interesse absichtlich auf". Quamquam certe haec acute excogitata sunt, tamen me quidem iudice propius ad probabilitatem accedit sententia Hartungii [4]), qui quod chori carmen sic sit compositum, quo affectus exspectantium acerrime depingatur, recte censet pariter spectatores temporis spatii rationem non subduxisse. Atque eo facilius hoc Euripidi concedere lubebit, siquidem iam supra (p. 42) in Aeschyli Agamemnone spectatorum suspensae exspectationi ad talem tragicorum neglegentiam excusandam haud paulum gravitatis tribuimus. Quid? quod in utraque fabula poëtae nuntium [5]) de iis quae acciderunt narrantem fecerunt, cum Agamemnon et Theseus, quorum adventus exspectatione spectatores necessario erecti sunt, aliquanto post in scaenam prodirent? Atque intellegimus insuper ex ipsis Euripidis fabulae nuntii verbis, quantopere poëta id egerit, ut rerum probabilitatem observare videretur. Nuntium enim interrogatum, ubinam exsequias funeris reliquisset, Euripides quasi se ipse excusans dicentem fecit v. 761:

ἐγγύς· πέλας γὰρ πᾶν ὅ τι σπουδάζεται.

Ut rebus staret, iam in antecedenti scaena nuntii persona usus est Euripides: Theseus postquam contionem habuit, revenit

1) Hartung l. c. II p. 91 sq.
2) Wilamowitz: Griechische Tragödien III p. 95.
3) Welcker l. c. II p. 574.
4) Hartung l. c. II p. 95.
5) cf. quae de nuntii persona atque narrationibus supra monui.

atque nuntium iussit Thebas ire et mortuos a Creonte repetere. Ille iam abiturus erat, cum nuntius a Creonte missus in scaenam prodiit dicens mortuos a Thebanis non traditum iri. Idem igitur artificium in hac fabula adhibuit, quod in Andromacha [1]), atque hoc artificio adhibito supersedit neglegendo temporis spatio, quod interfuisset inter abitum et reditum nuntii.

Nempe iam postquam demonstravimus, quatenus unitatem temporis tragici Graeci observavissent quibusque artificiis componendi dramatis ratio Euripidea praecipue regeretur, nequaquam cum pulvisculo rem exhausisse nobis videmur, sed accuratiorem etiam huius rei cognitionem aliorum virorum doctorum studiis effectum iri speramus. Quocirca non longius hanc rem persequar insuper veritus, ne in hac tempus pro huius commentationis consilio contriverim, quam praeteriens, ut aiunt, modo volui attingere. Redeamus igitur ad Euripidis Stheneboeam atque videamus, quomodo quae animadvertimus ad hanc fabulam revocemus. Atque ut partem laboris nobis minuamus praestat nos, quae modo enucleavimus, aptis verbis constringere: *Poëtae tragici ita non a more recepto nimis recesserunt et extra modum temporis spatium laeserunt ut, si tamen materia tractanda cogebantur paululum a rerum probabilitate deflectere, vel ita tragoedias componerent, ut spectatores in summam rerum exspectationem adducti neglegentiam minus sentirent, vel ipsi his atque aliis locis excusandi causa quaedam afferrent.* Quibus respectis iam statim obstupescimus legentes Wilamowitzii coniecturam inter Bellerophontis abitum atque reditum temporis hiatum complurium mensium exstare. Neque enim a quoquam tragicorum unitas temporis laesa est tam graviter. Sed nobis fabulae argumentum accuratius perspicientibus atque interpretantibus aliquid occurrit, quod Wilamowitz prorsus neglexit idque gravissimum. Iam supra (p. 20) breviter exposuimus *Euripidem in hoc dramate componendo ab epico fonte hac ratione discrepare, ut Bellerophontem Chimaeram solam occidentem faceret,* quia in fabulae argumento hoc solum de iis, quae Bellerophontes in Lycia fecerit, legimus:

1) cf. p. 47.

ὁ δὲ (sc. *Ἰοβάτης*) *τοῖς γεγραμμένοις ἀκόλουθα πράττων προσέταξεν αὐτῷ διακινδυνεῦσαι πρὸς τὴν Χίμαιραν. ὁ δὲ ἀγωνισάμενος τὸ θηρίον ἀνεῖλε. πάλιν δὲ ἐπιστρέψας εἰς τὴν Τίρυνθα κατεμέμψατο τὸν Προῖτον κτλ.*

Quid autem est, cur Euripides ita epicam narrationem decurtaverit [1]? Certe non alia de causa nisi quod ea fingere noluit, quae maxime incredibilia sunt et a verisimili rerum statu longe abhorrent. Brevissimo enim tempore Bellerophontes pugnam cum Chimaera committere potuit, ut statim ex Lycia redire posset. Et quid dicam de longo itinere bis Bellerophonti faciendo? Recordare Bellerophontem in Pegaso sedentem profectum esse: Intelleges quo tendam! Quam facile enim potuit Euripides longum iter volucris equi celeritate excusare [2]? Neque quidquam dubitationis relinquitur, quin de iis, quae de genuinae fabulae commutatione ab Euripide facta investigavimus, recte fecerimus. Statuit enim iam Felsch [3]) et Aeschylum et Euripidem ut rerum probabilitate starent saepius res aliter composuisse atque eos scriptores, ex quibus argumenta fabulae sumpsissent. — Vides iam, quantae res his testimoniis sint confectae; vides tam certum quam simplicem in modum refutatam esse Wilamowitzii opinionem, quam protulit et de longo complurium mensium intervallo ab Euripide prorsus neglecto [4]) et de tripertita quasi trium dierum fabula [5]). Pergamus igitur fabulam, de qua agimus, restituere.

Postquam Bellerophontes in Lyciam abiit, haud scio an chorus progressus sit tristia quaedam animo praesagiens et quae fortasse sint futura edocens. Vix potuit hic ex aliis personis constare, nisi ex Steneboeae famulis, ut etiam in Hippolyto chori

1) Iam intellegimus, cur et Nicolaus Damascenus fr. 16 et Hyginus fab. 57 non nisi de pugna cum Chimaera facta retulerint, cf. huius commentationis p. 20. Hi enim in hac re procul dubitatione Euripidem secuti sunt, praesertim cum satis constet, Hyginum in ceteris quoque fabulis componendis ad tragicum sese applicasse.

2) cf. Horat. carm. III, 12:
eques ipso melior Bellerophonte, neque pugno
neque segni pede victus.

3) cf. Felsch l. c. pp. 6 et 57 sq.

4) Wilamowitz l. c. p. 228.

5) Wilamowitz l. c. p. 231.

carmen canitur a Phaedrae famulis. Attribuit huic scaenae Wilamowitz etiam fragmenta 663—665, quibus a nutrice Stheneboeae angores et desideria describantur. De fragmentis 663. 665 ego quidem viro doctissimo non assentior, sed de his postea videbimus. Ex fragmento 664 intellegimus, quantopere mulier amoris cruciatibus misere vexata de Bellerophonte absenti metuerit, ne quid ei accideret neve non reverteretur Bellerophontes; quare verisimile est hoc fragmentum ad hunc fabulae locum pertinere. Reiciendum igitur est opinio Weckleinii [1]), qui haec verba in fabulae prologo collocare voluit, quia praesens *αὐδᾷ* statum praesentem significaret. Describit autem in hac quoque scaena, cui nos cum Wilamowitzio fragmentum inserimus, nutrix praesentem statum, quare nihil nostrae coniecturae obstat. Hoc fragmentum, de quo agitur, servavit Athenaeus X p. 427 e hisce verbis: *τοῖς δὲ τετελευτηκόσι τῶν φίλων ἀπένεμον τὰ πίπτοντα τῆς τροφῆς ἀπὸ τῶν τραπεζῶν· διὸ καὶ Εὐριπίδης περὶ τῆς Σθενεβοίας φησίν, ἐπειδὴ νομίζει* (sc. *Σθενέβοια*) *τὸν Βελλεροφόντην τεθνάναι·*

πεσὸν δέ νιν λέληθεν οὐδὲν ἐκ χερός,
ἀλλ' εὐθὺς αὐδᾷ τῷ Κορινθίῳ ξένῳ.

Quos versus per ridiculum detorquet Aristophanes Thesm. v. 404 et ipse quoque verba *τῷ Κορινθίῳ ξένῳ* tradit. Similes versus atque apud Athenaeum invenimus etiam apud Cratinum (Com. Gr. Fr. II, 179 ed. Mein.):

πίνουσ' ἀπ' ἀγκύλης ἐπονομάζουσα
ἵησι λάταγας τῷ Κορινθίῳ πέει.

Welcker statuit et hos versus a nutrice esse dictos, quam sententiam equidem sequar iis potissimum verbis permotus, quae de illis versibus Hesychius II p. 319 expromit: *Κορίνθιος ξένος· ἐπὶ τῶν τὰς λάταγας ῥιπτούντων ἀπὸ τῆς παρ' Εὐριπίδῃ Σθενεβοίας τῷ Βελλεροφῶντι ἐπιχευούσης.* Pugnare enim videntur versus apud Cratinum cum versibus apud Athenaeum traditis: Apud Athenaeum legimus Stheneboeam, quaecumque ciborum de mensa decidant, dedicare atque consecrare Bellerophonti iam mortuo, ex Hesychi autem verbis non intellegi potest, utrum

1) cf. Wecklein: Über fragmentarisch erhaltene Tragödien des Euripides, Sitzungsberichte der kgl. bayr. Akad. d. Wissensch. z. München 1888, I p. 101.

Bellerophontes a Stheneboea iam mortuus habeatur necne. Atque de viventibus, quibus nonnullae guttae ex poculis effusae dedicentur, videtur cogitandum esse apud Theocr. id. XIV, 18 et in annot. schol. ad hunc locum: *οὕτω γὰρ εἰώθασι ποιεῖν ἐν τοῖς συμποσίοις, ἄκρατον λαμβάνειν καὶ ὀνομάζειν τινὰς ἐρωμένους ἢ φίλους καὶ ἐπιχεῖν τῇ γῇ.*

Quae cum ita sint Welckeri quoque sententiam ex parte impugno, qui fragmentum apud Cratinum postponere vult fragmento apud Athenaeum servato; probabiliter enim nutrix illud apud Cratinum, quod fortasse ad Bellerophontem viventem spectat, prius narrat quam illud apud Athenaeum, quod ad Bellerophontem mortuum pertinere exploratum habemus. Temporis igitur intervallum, quoad Bellerophontes in Lycia versatur, et chori carmine et diverbio expletum videmus. Atque sufficit hoc iis, quae supra exposuimus, respectis ad unitatem temporis observandam.

Post Bellerophontis reditum primum inter hunc et Proetum diverbium fuisse ex fabulae argumento apparet: *πάλιν δὲ ἐπιστρέψας εἰς τὴν Τίρυνθα κατεμέμψατο τὸν Προῖτον.* Vehementissime igitur Bellerophontes Proetum obiurgat, cuius orationis partem fuisse fr. 667:

τίς ἄνδρα τιμᾷ ξεναπάτην;

suspicatus est Wilamowitz [1]). Et ad hanc obiurgationem Proetum sese confutantem, at Bellerophontem accusantem hisce verbis respondere fr. incert. 988:

τέκτων γὰρ ὢν ἔπρασσες οὐ ξυλουργικά

Hartung [2]) coniecit. Neque vero obiurgat solum Bellerophontes Proetum, sed facit etiam eum certiorem de pugna cum Chimaera facta. Invenimus enim huius narrationis paululum apud Photium s. v. *ἀθήρ* [3])· *λέγεται μὲν οὖν καὶ ἐπιδορατίς. λέγεται δὲ καὶ ἀθὴρ πυρός, ὡς Εὐριπίδης Σθενεβοίᾳ·*

παίω Χιμαίρας εἰς σφαγάς, πυρὸς δ' ἀθὴρ
βάλλει με καὶ τοῦδ' αἰθάλη πυκνὸν πτερόν [4]).

---

1) Wilamowitz l. c. p. 229.

2) Hartung l. c. I p. 81.

3) cf. Reitzenstein: Der Anfang des Lexikons des Photios, Leipzig u. Berlin 1907, p. 42, 20.

4) cf. Eur. El. v. 473 sqq., ubi idem fere narratur de Chimaerae caede.

Emendavit Wilamowitz *Χιμαίρας* et *αἰθάλη* coniciens *Χίμαιραν* et *αἰθαλοῖ* in actis Berol. 1907, 4.

Haud dubie, uti ex huius fragmenti pronomine *τοῦδ'* colligendum est, Bellerophontes cum Pegaso in scaenam prodit. Hoc probabilissime statuit Reitzenstein [1]), cuius sententiam Wilamowitz [2]) secutus est, et quare poëta Pegasum in scaenam movisset edocuit dicens [3]): „Der Dichter bediente sich nur so des Pegasus, dass sein Anblick den Zuschauern das Wunder vertraut machte, von dem der Totenbericht des Fischers berichtete". Ad haec addam, quod praeterea probabilem in modum exposuit Wilamowitz [4]) Euripidem verum equum alis ornatum in scaenam prodientem fecisse. Quo novo artificio quin Atheniensium sensus voluptate perfuderit Euripides, non dubitandum est. Postquam postremo Bellerophontes minitatus est, sese Stheneboeam secum in Cariam abducturum esse (cf. argumentum: *ἀνέσεισε δὲ τὴν Σθενέβοιαν ὡς εἰς τὴν Καρίαν ἀπάξων*), Proetum abire et Stheneboeae nutricem progredi persuasum habeo, quae ab muliere fortasse missa haud dubie adit Bellerophontem, quem placeat [5]). Concludere enim Stheneboeam necesse est, valde iratum Bellerophontem revertisse, ut iniuriam sibi ipsi a muliercula allatam graviter ulcisceretur. Nutrix igitur omni modo eum permulcere operam dare verisimile est, ne gravius in mulierem consulat neve non fortasse veniam det. Neque praepropere coniectare videor in hac scaena nutricem pariter atque in Hippolyto velato [6]) sequenti inter Stheneboeam et Bellerophontem colloquio proludere [7]). Totius

---

1) Reitzenstein l. c. praef. p. XV.

2) Wilamowitz: Zum Lexikon des Photios, Sitzungsberichte d. kgl. preuss. Akad. d. Wissensch. Berlin 1907, I p. 3 sqq.; Classical Philology III, 1908 p. 229.

3) Wilamowitz: Sitzungsberichte d. kgl. preuss. Akad. d. Wissensch. Berlin 1907, I p. 3.

4) Wilamowitz: Class. Phil. III, 1908 p. 229.

5) cf. Welcker: Griech. Trag. II p. 780; van de Sande Bakhuyzen: De parodia in comoediis Aristophanis, Traiecti ad Rhenum 1877, p. 116.

6) cf. A. Kalkmann: De Hippolytis Euripideis quaestiones novae, Bonnae 1881, p. 29 sq.

7) Bellerophonti Stheneboeae nutricem increpanti ascribendos esse versus, quos servavit Stob. flor. 73, 20 (fr. 666):

enim fabulae structurae natura fert, ut in scaena quadam Euripides Stheneboeam aliquo modo Bellerophontem adeuntem fecerit, quae quanto amore aegrotaret ei fateretur. Cuiusmodi confessionem amoris, quin Bellerophontes gravibus maledictis, ut sibi constet, figat, non dubium est, quoniam Stheneboea talibus conviciis a Bellerophonte coram choro dictis haec respondere videtur, quae scripsit scholiasta ad Aristoph. vesp. v. 111 cum lemmate: **παρὰ τὰ Εὐριπίδου ἐκ Σθενεβοίας· τοιαῦτ' ἀλύει νουθετούμενος ἔρως** et ea, quae sine poëtae et fabulae nomine habet Galenus (Med. Graec. V p. 411 ed. Kuehn) quaeque sine dubio ad hunc fabulae locum quadrant: *νουθετούμενος δ' ἔρως μᾶλλον πιέζει.* Est igitur, uti et ex illo Aristophanis loco et ex Plutarcho (de adul. et amic. c. 32) apparet, Euripidis versus hic:

τοιαῦτ' ἀλυΐει· νουθετούμενος δ' ἔρως
μᾶλλον πιέζει.

Recte pro *ἀλύει* corrigere *ἀλυΐει* contendit Nauck[1]) conferens cum hoc loco incertarum fabularum fr. 908, 8:

ψυχὴν ἀλύειν κἀπὶ τῇδ' ἔχειν πόνους;

ubi Buecheler *ἀλυΐειν* coniecit, et reiciens ad id, quod Buecheler[2]) probavit, qui ad illam coniecturam confirmandam complures veterum scriptorum locos congessit.

Hoc fragmentum, de quo agimus, Wilamowitz illi scaenae attribuere voluit, ut supra iam diximus, in qua nutrix Stheneboeae angores et desideria describit. Sed huic opinioni obloquar atque id iis potissimum permotus, quae legimus apud Plut. de adulat. et amic. c. 32 p. 71 A: **οὐ γὰρ ἁπλῶς νουθετούμενος ἔρως μᾶλλον πιέζει κατ' Εὐριπίδην, ἀλλ' ἐὰν νουθετῇ τις ἐν πολλοῖς καὶ μὴ φειδόμενος, πᾶν νόσημα καὶ πᾶν πάθος εἰς τὸ ἀναίσχυντον καθίστησιν.** Ex his enim verbis elucet Plutarcho ante oculos obversatam esse illam scaenam, in qua compluribus praesentibus

---

ὦ παγκακίστη καὶ γυνή· τί γὰρ λέγων
μεῖζόν σε τοῦδε ὄνειδος ἐξείποι τις ἄν;

coniecit Meineke (Zeitschr. f. d. Altertumswissensch. 1843 p. 188), cf. Wecklein (Sitzberr. d. kgl. bayr. Akad. d. Wissensch. 1888, I p. 101). Sed quoniam Stob. his verbis adiecit *Εὐριπίδου Βελλεροφόντης*, cur eius fidem in dubium vocem, non liquet, cf. huius commentationis p. 70.

1) Nauck: Tragicae dictionis index, praef. p. XXIII s. fr. 665, 1.

2) Buecheler: Mus. Rhen. vol. XXXIX p. 278.

(fortasse choro) Bellerophontes libidinosum Stheneboeae amorem[1]) increpat atque reicit. Bellerophontes deinde de scaena abit valde indignatus, quod mulierem libidinis impudicitiaeque neque pudet neque taedet[1]); haec autem iterum repulsa ab eo, quem vehementissime amabat, cuiusque, ut ita dicam, apertum pectus iam videre sibi persuadebat, nunc ulciscendi cupidissima furori temperare non potest et de Bellerophonte absenti detrahendi causa apud Proetum maledice atque contumeliose dicit. Bellerophontes autem, qui ex aliquo eorum, qui circa regem sunt, fortasse ex Proeti filio Megapenthe, falsas insidias criminationesque mulieris comperit, extemplo revertitur et contumeliam sibi a muliere iterum allatam gravissime ulturus est[2]), cf. quae in argumento legimus: **μαθὼν δὲ παρά του ἐκ Προίτου δευτέραν ἐπιβουλὴν φθάσας ἀνεχώρησεν.**

Videmus deinde Bellerophontem et Stheneboeam in scaena quadam concorditer inter se consentientes. Nam ut Stheneboeam totam sibi confidentem reddat, haud scio an Bellerophontes simulet sese paenitere tam diu tanto amori non respondisse, revertisse igitur, ut ei amorem suum diu absconditum declararet. Cum Stheneboea dubitet, num illud vere sit dictum, Bellerophontes fortasse haec verba de amore omnia efficiente facit, a quo ipse vehementissime occupatus sit fr. 663:

ποιητὴν δ' ἄρα
ἔρως διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν.

pro *ποιητὴν δ' ἄρα* scripsit Blaydes[3]) *ποιητὴν ἄρα*, pro *κἂν* idem vir doctus *κῆν*.

Hemistichium *κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν* exstat apud Arist. vesp. v. 1074. Verba Euripidis genuina, quae quasi in proverbii consuetudinem venerunt, servavit Plutarchus (amat. 762 B; quaest. conviv. 622 C) nisi quod hoc quaest. conv. loco pro *ποιητήν* scriptum videmus *μουσικήν*. De hac varietate optime disseruit van de Sande Bakhuyzen[4]) coniciens, etiam in quaest. conviv.

---

1) In hac ipsa enim iterata Stheneboeae impudicitia ratio esse posita mihi videtur, cur Bellerophontes abierit, qui congressum lenae pudicitiae insidiatricis evitare vellet.

2) cf. p. 18 sq.

3) Blaydes: Advers. i. trag. Graec. fr. Hal.-Sax. 1894.

4) van de Sande Bakhuyzen: De parodia in comoediis Aristophanis, Traiecti ad Rhenum 1877, p. 60 sq.

622 C Plutarchum *ποιητήν* scripsisse et lectionem *μουσικήν* fluxisse fortasse ex eiusdem scripti cap. 2, in quo multum *περὶ μουσικῆς* Plutarchus disputaret. Neque igitur quidquam dubitationis habet Euripidem *ποιητήν* scripsisse, quippe quod in omnibus fere ceteris locis, ubi huius versus fit mentio, legatur [1]). Huic Stheneboeae loco simile est fr. Teleph. 715, 2:

χρεία διδάσκει, κἂν βραδύς τις ᾖ, σοφόν.

Hos locos Euripideos ita inter se differentes confudisse videtur Menander [2]), cum in *Καρχηδονίῳ* [3]) scriberet:

χρεία διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ, σοφόν
Καρχηδόνιον.

Bellerophontes postquam Stheneboeae persuasit amorem suum verum esse, promittit sese eam, si sibi confidat, in Pegaso esse ablaturum, et describit hac fortasse occasione suum iter in Lyciam et pugnam cum Chimaera commissam. Hoc ex illa pictura Pompeiana [4]) intellegimus, in qua spectamus Stheneboeam, nutricem Bellerophontemque colloquentes et super eos pugnam Bellerophontis cum Chimaera, qua depingendi arte veteres significare solent, quod picturae propositum est. Fortasse etiam huic scaenae ascribendum est fr. 669:

πέλας δὲ ταύτης δεινὸς ἵδρυται Κράγος
ἔνθηρος, ᾗ ληστῆρσι φρουρεῖται . .
κλύδωνι δεινῷ καὶ βροτοστόνῳ βρέμει
πτηνὸς πορεύσει.

v. 1. *ταύτης* Meineke [5]) ad rupem praeruptam *Χίμαιραν* spectare existimat, Treuber [6]) refert hoc verbum ad urbem Xanthum; neque vero equidem diiudicare ausim, utra opinio sit praeferenda. *κρά^τ* cod.; *Κράγος* Meineke; Steph. Byc. s. v. *Κράγος* notavit: *ὄρος Λυκίας*, cf. quoque Pomp. Mel. I, 82.

1) cf. Plat. Sympos. p. 196 E; Plut. de Pythiae orac. c. 20 p. 405 F; Nic. Mil. in argum. Theocrit. Id. XI; cf. quoque de hac re Valckenaer: Diatribe p. 206 sq.

2) cf. van de Sande Bakhuyzen l. c. p. 61.

3) Com. Gr. Fr. IV, 146 ed. Mein.

4) cf. Engelmann: Annal. d. Inst. 1874 p. 32 et Archäolog. Stud. z. d. Trag., Berlin 1900, p. 84 sqq.

5) Meineke: Philol. exerc. in Athenaei Deipnosophistas spec. 1, p. 52, Programm d. kgl. Joachimsthalschen Gymnasiums z. Berlin 1843.

6) Oscar Treuber: Beiträge zur Geschichte der Lykier, Gymnas.-ProgbingTüammren 1886, p. 18.

Praeterea etiam pugna Bellerophontis cum Chimaera facta in monte *Κράγῳ* locatur, ita apud Strab. XIV, 665.

v. 2. *ἢ ληστὴς φρουρεῖται* cod.; *ᾗ ληστῆρσι φρουρεῖται* (*πόρος*) Meineke; pro *ληστῆρσι* proposuit Blaydes *λῃσταῖσι*.

v. 3. *καὶ βροτοστόνῳ* cod.; *καὶ βαρυστόνῳ* Dindorf, Blaydes; *καὶ βροτοκτόνῳ βρέμων* Meineke; *κἀβροτοστόνῳ* Conington.

In Engelmanni sententia, quam protulit de his versibus existimans Bellerophontem Stheneboeae iter suum ex Caria iamiam factum narrare, perniciosus est error; evidenter enim docet futurum *πορεύσει* Bellerophontem de futuro itinere loqui. Haud scio an Stheneboeae interroganti, quonam et quanam via proficiscantur, Bellerophontes locum petitum Cariam dicat et, ut Stheneboeam spei cupiditatisque patriam videndi plenam reddat, regiones ei notissimas atque a teneris, ut Graeci dicunt, unguiculis carissimas illis versibus, quos supra tentavimus, describat [1]). Cum his, quae modo exposuimus, congruit et Welckeri [2]) et Weckleinii [3]) probabilis suspicio, qui ex iis, quae in Arist. pac. v. 124 sqq. legimus, recte observaverunt Stheneboeam similem in modum ac Trygaei filias, quonam iter fiat, quaerere et Bellerophontem ita ut Trygaeum respondere [4]); legitur enim illo Aristophanis pacis loco:

κόραι Τρυγαίου: καὶ τίς πόρος σοι τῆς ὁδοῦ γενήσεται;
ναῦς μὲν γὰρ οὐκ ἄξει σε ταύτην τὴν ὁδόν.
Τρυγαῖος: πτηνὸς πορεύσει πῶλος· οὐ ναυσθλώσομαι.

Ad v. 125 annotavit schol.: *ὁ λόγος ἐκ Σθενεβοίας Εὐριπίδου, τινὲς δὲ οἴονται ἐκ Βελλεροφόντου παρῳδῆσαι* (*παρῳδῆσθαι* coni. Herwerden). *ἔστι δὲ ἐν Σθενοβοίᾳ παρὰ τῷ τραγικῷ οὕτως· πελὰς δὲ — πτηνὸς πορεύσει.*

Ac ne illud quidem neglegendum est, quod suspicatus est van de Sande Bakhuyzen [5]) fortasse post *πορεύσει* in schol. excidisse verba: *πῶλος· οὐ ναυσθλώσομαι* et etiam Arist. pac. vv. 124 sq.:

καὶ τίς πόρος σοι τῆς ὁδοῦ γενήσεται;
ναῦς μὲν γὰρ οὐκ ἄξει σε ταύτην τὴν ὁδόν

1) cf. quae supra p. 8 sq. monui.

2) Welcker: Griech. Trag. II, 781.

3) Wecklein: Sitzberr. d. kgl. bayr. Akad. d. Wissensch., München 1888 I, p. 99.

4) Hoc etiam Meineke l. c. p. 32 probavit.

5) van de Sande Bakhuyzen l. c. p. 72.

ex Stheneboea esse derivatos. Quam sententiam certe non desunt, qui assensu suo plane comprobent, neque tamen equidem quaestionem solvere audeam.

Sed praeterea alios versus huius comoediae Aristophanis acuti atque doctissimi viri indagarunt, quos Euripideis tragoediis attribuerent vv. 140 sq.:

τίς δ' ἢν ἐς ὑγρὸν πόντιον πέσῃ βάθος;
πῶς ἐξολισθεῖν πτηνὸς ὢν δυνήσεται;

quibus de versibus scholiasta scripsit: *τοὺς τραγικοὺς παίζει διὰ τὰ περὶ Ἰκάρου λεγόμενα· ἢ ἐπεὶ δοκεῖ ὁ Βελλεροφόντης τὴν τοῦ Προίτου γυναῖκα μετὰ τὴν τῆς Χιμαίρας ἀναίρεσιν ἐπανελθὼν εἰς Κόρινθον*[1]) *ἀπατῆσαι ὡς ἕξων γυναῖκα καὶ ἐπιβιβάσας τοῦ Πηγάσου εἰς μέσην ῥῖψαι τὴν θάλατταν.*

Priorem versum attribuit Meineke[2]) Stheneboeae, Bellerophonti Porson[3]), in incerto reliquerunt hanc quaestionem Herwerden[4]) et van de Sande Bakhuyzen[5]).

Re diligentius considerata manifestum est de Icaro illo loco non esse cogitandum[6]). Optime autem versus poni possunt in hoc Stheneboeae loco, ubi Bellerophontes Stheneboeae de itinere narravit et montem *Κράγον* commemoravit. Stheneboea verita iter trans mare factum iri anxie interrogat:

τί δ' ἢν ἐς ὑγρὸν πόντιον πέσῃ βάθος;
πῶς ἐξολισθεῖν πτηνὸς ὢν δυνήσεται;

Et si re vera Stheneboeam a Bellerophonte decipi, abduci, in mare deici non Euripidis est commentum, sed ex fabula vel poëmate quodam haustum est, ut supra (p. 24) suspicati sumus, simul his versibus Atheniensibus dilucide (nobis nimirum obscurius) poëta iacit, quo mortis genere Stheneboea in dramate pereat. Neque igitur quidquam cogit, ut illos versus a Stheneboea dictos huic fabulae abiudicemus. Huc afferam etiam illa in Stobaei flor. 29, 36 servata perquam obscura verba (fr. 668):

1) *Τίρυνθον* coni. Hartung.
2) Meineke l. c. p. 33.
3) Porson: ed. Eur. Hecub. annot. ad v. 1010.
4) Herwerden: ed. Aristoph. pac. II p. 22.
5) van de Sande Bakhuyzen l. c. p. 73.
6) cf. van de Sande Bakhuyzen l. c. p. 73.

ἄνευ τύχης γάρ, ὥσπερ ἡ παροιμία,
πόνος μονωθεὶς οὐκέτ' ἀλγύνει βροτούς.

Hoc proverbio Bellerophontes ad illam anxiam Stheneboeae quaestionem respondere et contendere videtur fugam necessario prospere in Pegaso eventuram esse, ut mulieri omnem timorem demat eamque fiduciae plenam reddat. Ad quem sensum quoniam in illis versibus verba *ἄνευ τύχης* una cum voce *ἀλγύνει* non apte conveniunt, viri docti iterum atque iterum diversissimas coniecturas protulerunt.

Alii videntes difficultatem in voce *ἀλγύνει* coniecerunt:
Musgrave: *οὐκέτ' ἀλδαίνει βροτούς*
Hense: *οὐκέτ' ἀλφάνει βροτούς*
C. Matthiae: *οὐδὲν ἀλφάνει βροτούς* et *οὐκ ἐπαυξάνει βροτούς*
Finkh: *οὐδὲν εὐφραίνει*
Heimsoeth: *οὐδὲν ἐπαμύνει*
F. G. Schmidt: *οὔποτ' ἂν λύοι βροτοῖς*
Blaydes: *οὐδὲν ὠφελεῖ βροτούς.*

Alii viri docti *ἀλγύνει* tenentes verba *ἄνευ τύχης* emendanda esse putabant et coniecerunt:
Badham (praef. Jph. T. p. 4): *ἂν εὐτυχῇς γάρ*
Cobet: *ἢν εὐτυχῇς γάρ.*
Sed in hac lectione in offensionem incurrerunt *εὐτυχῇς* et *βροτούς*, quam ob rem Schmidt[1]) pro *εὐτυχῇς γάρ* scripsit *εὐτυχῇ τἄργ'*. Praeterea probabilissime idem vir doctus pro *μονωθείς* suspecto coniecit *πόνος μὲν οὐδείς*. Optime iam procedere videbatur sensus versuum hoc modo emendatorum:

ἢν εὐτυχῇ τἄργ', ὥσπερ ἡ παροιμία,
πόνος μὲν οὐδεὶς οὐκέτ' ἀλγύνει βροτούς.

At his emendatis nondum acquiescebat Eugenius Holzner[2]) arbitratus versus omnino tam corrupte memoriae proditos esse, ut habere sibi videretur, quod alterum versum sic mutaret:

ἑνὸς μόνου δεῖ, σ' οὔποτ' ἀλλοιοῦν τρόπους.

Sed exempla, quae ille ad hanc lectionem probandam affert, quamquam ad sensum coniecturae accedunt, tamen non simul

1) F. G. Schmidt: Kritische Studien zu den griechischen Dramatikern II p. 484 sqq.
2) Eugenius Holzner: Kritische Studien zu den Bruchstücken des Euripides, Wiener Studien 15 (1893), p. 63 sq.

eam plane confirmant, quoniam coniectatae voces longius ab traditis abhorrent. Quae cum ita sint huic illam Schmidtii coniecturam satis probabilem et propius ad tradita verba accedentem praeferam.

Postquam Bellerophontes Stheneboeam in consilium suum perduxit, ambo abeunt et peragunt propositum ita, ut ex argumento fabulae intellegimus: *ἀναθέμενος δὲ ἐπὶ τὸν Πήγασον τὴν Σθενέβοιαν μετέωρος ἐπὶ τὴν θάλασσαν ἤρθη. γενόμενος δὲ κατὰ Μῆλον τὴν νῆσον ταύτην ἀπέρριψεν* [1]. *αὐτὴν μὲν οὖν ἀποθανοῦσαν ἁλιεῖς ἀναλαβόντες διεκόμισαν εἰς τὴν Τίρυνθα.*

Quid, dum haec ab argumenti auctore narrata accidunt, in scaena agatur nos fugere valde dolendum est. Id solum suspicari possumus ad temporis hiatum explendum, quod exstat, dum piscatores cum Stheneboea mortua in scaenam progrediuntur, sufficere chori carmen et fortasse diverbium; nam secundum ea, quae supra exposuimus, brevissimo tempore volucris equus Melum pervenire et haud ita multo temporis post piscatores parvum inter Melum atque Tirynthem spatium decurrere potuerunt, ut praetermittam piscatores hoc loco nuntii partibus fungi, de quibus quae Felsch [2] monuit conferas. Quodsi autem poëta Stheneboeam iam prope Melum insulam in mare praecipitatam esse fecit, nullum argumentum maius est eum timuisse unitatem temporis extra modum laedere, nam consentaneum fuit Bellerophontem Stheneboeam in Cariam vel Lyciam abducere, ut ipse antea minitatus est (cf. arg.: *ἀνέσεισε δὲ τὴν Σθενέβοιαν ὡς εἰς τὴν Καρίαν ἀπάξων*).

Tum demum, cum piscatores corpus Stheneboeae in scaenam ferunt, rem porro agi videmus. Narrant [3] hi de luctuoso exitu Stheneboeae simulque, qualem vitam in mari degant, describunt. Huius narrationis est pars fr. 670:

---

1) Fortuna prospera amphoram servatam habemus, in qua artificiose depictum est, quomodo Bellerophontes Stheneboeam in mare praecipitet; de hac pictura cf. quae Vogel exposuit in libro, qui inscribitur: Scenen Euripideischer Tragödien in Griechischen Vasengemälden p. 85.

2) Felsch l. c. p. 42 sq.; huc conferas, quae ipse disputavi p. 47.

3) Unum ex piscatorum numero loqui pariter atque in Philocteta ex Troianorum legatis unum apud Philoctetam verba iacere existimavit Wecklein: Sitzberr. d. kgl. bayr. Akad. d. Wissensch. 1888, I p. 102.

βίος δὲ πορφυροῦς θαλάσσιος,
οὐκ εὐτράπεζος, ἀλλ' ἐπάκτιοι φάτναι.
ὑγρὰ δὲ μήτηρ, οὐ πεδοστιβ.`ς τροφὸς
θάλασσα· τήνδ' ἀροῦμεν, ἐκ ταύτης βίος
βρόχοισι καὶ πέδαισιν οἴκαδ' ἔρχεται.

Horum versuum interpretationem multis difficultatibus obstructam invenies. Quam ob rem multi doctissimi viri latebras in utramque partem dimovere conati sunt.

v. 1. Difficultatem in voce *πορφυροῦς* latere arbitrati, quoniam haec non apte congrueret cum verbo antecedenti *βίος*, coniecerunt:

G. Hermann: *πορφυρεύς*, quae coniectura firmatur compluribus veterum locis: Herod. IV, 151; Aelian. N. A. VII, 34; Luc. Tox. 18.
Lobeck: *πορφυρέως*
Meineke: *πορφυρέων.*

At his Lobeckii et Meinekii suspicionibus impugnat Blaydes l. c., quoniam *πορφύρεος* maris soli epithetum sit, haec exempla afferens: Troad. v. 124; Hipp. vv. 738. 744: Eur. fr. 882, et conicit ipse *πορφυρευτικός*, comparans hanc coniecturam cum Iph. T. v. 263: *πορφυρευτικαί στέγαι* et Arist. pac. v. 589: *βίος γεωργικός*; sed haec coniectura nimis ab traditis verbis abest. Aliam autem viam emendandi ingressus est Busche [1], qui *πορφυροῦς* probans pro *βίος* poëta magis dignum censuit *βυθός*, quam coniecturam accommodate ad persuadendum defendit. Sed huic oblocutus est Mekler [2], quoniam Euripides nusquam praeterea verbum *βυθός* usurpasse videretur. Attamen equidem huic Mekleri suspicioni non nimis indulgeam; legitur enim verbum *βυθός* [3] et apud Aeschylum fr. 464,10: *τρέμει . . . καὶ πελώριος βυθὸς θαλάσσης* et apud Sophoclem fr. 748: *στενωπὸς Ἅιδου καὶ παλιρροία βυθοῦ*, fr. 1027,6: *φροῦδος μὲν ἔσται κυμάτων ἅπας βυθός* neque est, cur negemus hoc verbum apud Euripidem exstitisse. Adstipuler igitur Buschii coniecturae non minus probabili quam Lobeckii vel Meinekii opinio.

---

1) Busche: Zu den Fragmenten des Euripides (Mus. Rhen. vol. LV p. 304 sqq.).

2) Mekler: Bursians Jahresbericht, vol. 125 p. 210 sq.

3) cf. Nauck: Tragicorum graec. index s. v. *βυθός*.

v. 3) μήτηρ suspectum esse coni. Blaydes. pro ὑγρά coni. Blaydes σκληρά. pro οὐ coni. Blaydes κοὐ. ad πεδοστιβής cf. Med. v. 1123: ὄχον πεδοστιβῆ; Hel. v. 1532; Rhes. vv. 254. 763.

v. 5) pro πέδαισιν coni. Blaydes πόρκοισιν.

Postquam piscatores de luctuoso exitu Stheneboeae narraverunt, Bellerophontes ipse revenit, ut regi quidquid fecerit fateatur praebetque facti sui rationem, ut concludendum est ex fabulae argumento: πάλιν δὲ ἐπιστρέψας ὁ Βελλεροφόντης πρὸς τὸν Προῖτον αὐτὸς ὡμολόγησε πεπραχέναι ταῦτα. δὶς γὰρ ἐπιβουλευθεὶς ὑπ' ἀμφοτέρων δίκην εἰληφέναι τὴν πρέπουσαν, τῆς μὲν εἰς τὸ ζῆν, τοῦ δὲ εἰς τὸ λυπεῖσθαι. Quamquam sic res in scaena actae optime procedere videntur, tamen una quaestio relicta est, quidnam, dum piscatores res apud Melum factas narraverint, fecerit Bellerophontes, quippe qui in Pegaso sedens multo citius proficisci ob eamque rem multo prius Tirynthem advenire deberet quam piscatores? Nimirum huius difficultatis probabilis quaedam excusatio Euripidi invenienda erat; atque huc fortasse spectat coniectura quaedam Weckleinii: Priusquam enim Bellerophontes ipse ad Proetum reverterit, ad regem ille vir doctissimus censet aliquem venisse, qui narravisset Bellerophontem sese expiasse Argi, illo loco, qui est consecratus iudicio de Danaidibus facto, et alia et haec verba nuntium fecisse (fr. 305):

> καὶ ξεστὸν ὄχθον Δαναϊδῶν ἑδρασμάτων
> στὰς ἐν μέσοισιν εἶπε κηρύκων ὕπο.

Hoc fragmentum servavit schol. ad Eur. Or. v. 872 hisce verbis: δείκνυσιν ἔτι καὶ νῦν ὑπεράνω τοῦ καλουμένου πρωνός, χῶμα παντελῶς, οὗ συμβαίνει τοὺς Ἀργείους δικάζειν. τάχα δ' ἂν τούτου καὶ ἐν Βελλεροφόντῃ μνημονεύοι εἰπών. Quandoquidem ex his verbis nihil certi effici potest, utrum illud fragmentum in fabula Stheneboea sit collocandum an in Bellerophonte, viri docti diversas sententias protulerunt. Attamen, quamquam Weckleinio oblocutus est Engelmann, equidem in illius doctissimi viri opinione perstem atque id potissimum propter eam causam, quam modo attuli. — Postquam Bellerophontes ante Proetum defendit [1]), quae fecisset, regique ita persuasit Stheneboeam accepisse poenam debitam, omnes praeter chorum hisce Proeti verbis fr. 671:

> κομίζετ' εἴσω τήνδε· πιστεύειν δὲ χρὴ
> γυναικὶ μηδέν, ὅστις εὖ φρονεῖ βροτῶν

de scaena decedunt et Stheneboeae corpus ab famulis tragicorum invento ἐκκυκλήματι in domum involvitur [1]). Finitur deinde tragoedia certe ut omnes Euripidis nonnullis chori versibus.

1) De hoc ultimo actu tragoediae optime statuit Wilamowitz l. c. p. 229 hunc non dissimilem esse earum fabularum, in quibus deus ex machina in conspectum veniret, atque in Stheneboea Bellerophontem dei ex machina vice quasi fungi. Quodsi sane de Stheneboeae aetate inde collegit ille vir doctissimus, de hac re postea videbimus.

III. Quae ratio intercedat inter Euripidis Stheneboeam et Bellerophontem.

Quaestione de fabulae Stheneboeae structura absoluta iam videamus, quae ratio intercedat inter Stheneboeam et Bellerophontem. Nobis legentibus Bellerophontis fabulae fragmenta et ea, quae scholiasta ad Aristophanis pac. v. 147 annotavit: ἐκεῖνος (Euripides) δρᾶμα ἐποίησε τὸν Βελλεροφόντην, ἐν ᾧ χωλὸν εἰσήγαγεν αὐτὸν διὰ τὸ πεπτωκέναι ἀπὸ τοῦ Πηγάσου βουλόμενον εἰς οὐρανὸν ἀνελθεῖν, primo obtutu in Bellerophonte res in Stheneboea gestas continuari videntur [2]).

1) Hoc ex iis, quae ad Arist. equ. v. 1249:

κυλίνδετ' εἴσω τόνδε τὸν δυσδαίμονα

schol. annotavit: ἐκ Βελλεροφόντου Εὐριπίδου· τὸ δὲ κυλίνδετ' ἀντὶ τοῦ κομίζετε, quodammodo concludendum est, cf. Neckel: Das Ekkyklema, Programm d. Gymnasiums z. Friedland 1889, p. 7 sq. — Wilamowitz in commentatione, quam scripsit de tragicorum Graecorum fragmentis in Indic. schol. Gotting. 1893 p. 87 censet, scholiastam confusis nominibus in illa ad Arist. equ. v. 1249 annotatione Stheneboeae versum, quem Stobaeus servaverit, indicasse. Attamen equidem scholiastae fide nitar, quoniam Bellerophontes in fabula cognomini sordidis vestibus claudus in scaenam fertur (cf. van de Sande Bakhuyzen l. c. potissimum p. 37 et p. 71), ob eamque rem proclive in domum involvi potuit, ut praetermittam Stheneboeam et Bellerophontem, quippe quarum fabularum haec sit retractatio illius, ut deinceps videndum erit, similibus versibus finiri veri esse similius.

2) cf. Wilamowitz l. c. p. 230.

Sed alia praeterea ratio his fabulis subesse videtur atque graves causae impellunt, ut subtilius in hanc rem inquiramus. Supra iam indicavimus (atque disputabimus infra de hac re accuratius) Phaedram in Hippolyto velato et Stheneboeam in cognomini tragoedia non verecundari ipsas Hippolytum et Bellerophontem omnibus libidinum sordidarum illecebris persequi. Aliter res sese habet in Hippolyto coronato et in Bellerophonte, ubi Phaedra et Stheneboea eodem vehementi amoris furore sane captae tamen mori malunt, quam cupidini sese dedere [1]; quin etiam Phaedra alterius Hippolyti nutrici valde irascitur, quae cum dominae cruciatus sublevare studeat Hippolyto novercae amoris aestum fateatur. Videntur igitur, quod iam dudum Hartung [2]) sensit, Hippolytus velatus et Stheneboea rerum quadam communitate inter se cohaerere, id quod haec dramata respiciens tam optime expressit illis verbis, quae Aeschylum contra Euripidem dicentem facit, Aristophanes ran. v. 1043:

ἀλλ' οὐ μὰ Δί' οὐ Φαίδρας ἐποίουν οὐδὲ Σθενεβοίας [3]).

Praeterea in Hippolyti coronati argumento hoc testimonium invenimus: *ἔστι δὲ οὗτος Ἱππόλυτος δεύτερος ὁ καὶ στεφανίας προσαγορευόμενος, ἐμφαίνεται δὲ ὕστερος γεγραμμένος· τὸ γὰρ ἀπρεπὲς καὶ κατηγορίας ἄξιον ἐν τούτῳ διώρθωται τῷ δράματι, τὸ δὲ δρᾶμα τῶν πρώτων.* Unde in aperto esse putem in Atheniensium offensionem Phaedrae impudentiam incurrisse. Cum autem semel displicuerit fabula, iterata editio retractata fuerit necesse est, quare Euripides fabulae *παλινῳδίαν* docuit;

---

1) cf. quae infra p. 71 de hac re monebo.

2) Hartung: Eur. rest. I p. 85, et vide quae infra p. 69 addam.

3) Et Phaedrae et Stheneboeae nomen significat hoc loco universe tale genus mulierum, quale est ad libidines pronum. Hanc personam gerens Stheneboea postea etiam saltationibus (Luc. salt. 42) et in scaenam producta est (Achill. Tat. 1, 8), ut hoc nomen sensim proverbio increbresceret. Similem in modum atque Stheneboeae nomini etiam Bellerophontis universa vis subiecta est atque significat Bellerophontis nomen eum hominem, qui epistulam ferat, quam nos „Uriasbrief" appellare consuevimus. Hoc haud pauca Graecorum et Romanorum proverbia testantur: cf. Zenob. II, 87: *Βελλεροφόντης τὰ γράμματα.* Diog. V, 45: *καθ' ἑαυτοῦ Βελλεροφόντης· ἐπὶ τῶν καθ' ἑαυτῶν τι ποιούντων.* Plaut. Bacch. v. 810: 'Bellerophontem iam tuus me fecit filius'. cf. A. Otto: Die Sprichwörter und sprichwörtlichen Redensarten der Römer, Leipzig 1890, p. 54.

verumtamen quid amplius impedit, ne coniciamus non solum Bellerophontem valde consentire cum Stheneboea, sed potius non minus Bellerophontem Stheneboeae quam alterum Hippolytum Hippolyti velati *παλινῳδίαν* fuisse? Nonne verisimile est Euripidem fabulam semel perstrictam facetiis acerrimis comicorum serio tractandam sibi sumpsisse [1])?

De eiusmodi palinodiis quae enucleata sunt nisi ipsa sic sunt manifesta, ut aliam viam inquirendi munire prorsus supervacaneum sit, tamen breviter tantum pro huius dissertatiunculae proposito ea, quae sunt ad rem melius intellegendam maxime necessaria, exponamus.

Saepius tragici poëtae sive sua sponte sive coacti quibusdam improbantibus nonnulla, quae in dramate minus convenerunt, mutabant. Luculentissimum huius rei exemplum praebet Goethii Iphigenia, quam quoties mutaverit poëta ipse narrat in epistulis quibusdam, quas Roma domum dedit [2]). Atque inveniuntur vestigia, quibus apparet, etiam tragicos Graecos in tragoediis componendis ita versatos esse. De Sophoclis quibusdam tragoediis egit Hippenstiel [3]). Neque abhorrere videtur a Sophoclis more Euripidis fabulas componendi ratio [4]), quamquam Valerius Maximus haec tradidit (III, 7 Ext. 1): 'Ne Euripides quidem Athenis adrogans visus est, cum postulante vi populo, ut ex tragoedia quandam sententiam tolleret, progressus in scaenam dixit se, ut eum doceret non ut ab eo disceret, fabulam componere solere'. Haec enim narratiuncula, nisi est ficta, tamen ad unum tantum factum pertinet, ut ex verbis 'postulante vi populo' et 'progressus in scaenam' primo obtutu concludere possumus. Constituerunt igitur tales correctiones, de quibus modo egimus, in singulis versibus mutandis vel in dictione expolienda. Longe aliter autem res sese habet de Euripidis Hippolytis, quia Euri-

---

1) Facile enim fieri potuit, ut Cratini ioco Stheneboea ridicula facta ab Euripide mutaretur; huc cf. quae monebo p. 80.

2) Goethe: opera vol. 25 p. 108 sqq.

3) Hippenstiel: De Graecorum tragicorum principum fabularum nominibus, Marpurgi Cattorum 1887, p. 31 sqq.

4) cf. schol. Arist. ran. v. 1400; Christ-Schmid: Gesch. d. griech. Literatur [5] I p. 339, annot. 5; van de Sande Bakhuyzen l. c. p. 157 sq.; Hartung l. c. vol. I p. 330.

pides totam priorem fabulam, Hippolytum velatum [1]), omnibus improbatam, ut argumenti testimonio scimus, plane commutavit prorsusque novam, Hippolytum coronatum [1]), ad spectatorum iudicium magis propensam et honestatis quadam et decoris specie imbutam composuit; scimus enim utramque fabulam salvam exstitisse per diversa tempora Pollucis et Stobaei. Cuius rei ni fallor nullum vestigium est neque in Aeschyli neque in Sophoclis operibus, exstat verum in Aristophanis — ut omnino retractatae fabulae apud comicos saepius occurrunt, — cuius Nubes posterior comoedia priorem ob falsas criminationes in Socratem eiectam eo modo corrigere volebat, ut Socrates in hac leges pietatis erga parentes dissolveret [2]). De hac Aristophanis retractatione iam a permultis viris doctis actum est [3]), ut hanc quaestionem si hic enodare studerem, et ultra huius dissertatiunculae modum egrederer et onus vix ad vires meas accommodatum subirem. Acquiescam igitur Zacheri iudicio, qui recentissimis de hac re commentationibus Heidhuesii et Georgii Schwandke [4]) acri subtilique ingenio percensis in Berl. phil. Wochenschrift 1900, vol. XX pp. 33. 68 sqq. ita quaestionem solvit, ut minime sit dubitandum, quin Aristophanes Nubium *παλινῳδίαν* docuerit.

Postquam modo vidimus et ab tragicis et ab comicis fabulas interdum retractatas esse, iam fortiter nostram quaestionem, quae attinet ad Euripidis Stheneboeam et Bellerophontem, aggrediamur. Valde nobis dolendum est Hartungium, qui

---

1) De horum nominum sensu recte haec statuisse mihi videtur Hippenstiel l. c. p. 31: 'alteri editioni Euripidem item ac priori merum Hippolyti nomen inscripsisse', quoniam (p. 34) 'simpliciores titulorum formae ipsis poëtis debentur, grammatici autem certiorem significationem ac distinctionem appetiverunt, ea ratione ut, ubi breviores erant genuini indices, agnomina adscriberent nonnumquam ineptiora'.

2) cf. Zielinski: Die Gliederung der altattischen Komödie 1885, p. 44.

3) cf. G. Dindorf: De Aristophanis fragmentis, Lipsiae 1829, et vide B. Heidhues: Ueber die Wolken des Aristophanes, Programm des kgl. Friedrich-Wilhelm-Gymnasiums zu Köln 1897, qui initio commentationis libros virorum doctorum, qui praeterea praecipue adeundi sunt sive in hanc sive in illam partem disputaverunt, attulit.

4) Georgius Schwandke: De Aristophanis nubibus prioribus, Halis Saxonum 1898.

primus sententiam adumbravit [1]) Bellerophontem Stheneboeae retractationem esse, hic substitisse nec rationes satis firmas gravesque attulisse, quibus hanc optimam sententiam fulciret. Refertur, quod supra iam demonstratum est, in Hippolyti coronati argumento Phaedrae impudentiam in Hyppolyto velato in Atheniensium offensionem incurrisse. Quid? Nonne Stheneboea non minus impudentem sese praebuit, ut Athenienses non minore iure hoc drama indignari possent? Et re vera genuinam cothurni gravitatem ac magnificentiam non facile umquam laesit gravius Euripides destituta omni maiestate, quam sordidis libidinibus complevit; nam si aliter res sese haberet, non Aristophanes ran. v. 1043:

ἀλλ' οὐ μὰ Δί' οὐ Φαίδρας ἐποίουν πόρνας οὐδὲ Σθενεβοίας

Phaedram una cum Stheneboea nominasset.

Quodsi autem Euripides in fabula retractata fabulae Stheneboeae appellationem mutavit, haud difficile est intellectu, cur id fecerit: Voluit certe Euripides non scelestae et impudentissimae mulieris Stheneboeae, sed Bellerophontis, casti iuvenis, nomen dramati dare, ut primo obtutu fabulae ratio intellegeretur et omnis offensio, quae in talis materiae retractatione esse potuit, extemplo reprimeretur.

Si autem censemus Euripidem Bellerophontem Stheneboeae retractationem monuisse, pro certo habendum est Stheneboeam in tragoedia retractata exstitisse atque eminuisse; et re vera hoc nobis testantur imprimis duo fragmenta a Stobaeo servata, quae de muliere quadam nefaria agunt quorumque alterum fr. 662:

πολλοὺς δὲ πλούτῳ καὶ γένει γαυρουμένους
γυνὴ κατῄσχυν' ἐν δόμοισι νηπία

primum (flor. 68, 15) cum lemmate: *Εὐριπίδου Σθενεβοίας*, deinde (flor. 72, 6) cum lemmate: *Εὐριπίδου Βελλεροφόντης* exstat, alterum fr. 666:

ὦ παγκακίστη καὶ γυνή· τί γὰρ λέγων
μεῖζόν σε τοῦδε ὄνειδος ἐξείποι τις ἄν [2]);

---

1) Hartung l. c. I p. 85.

2) Huic loco haud absimilia sunt illa in Euripidis Hippolyto coron. exstantia verba, quibus Hippolytus Phaedrae nutricem increpat v. 651 sqq.

a Stobaeo (flor. 73, 20) cum lemmate: *Εὐριπίδου Βελλεροφόντης* commemoratur. Nimirum de his fragmentis viri docti alii alias opiniones protulerunt: In Bellerophonte, quippe quae fabula in Lycia acta sit, Stheneboeae partes nullas fuisse constare[1]; quam ob rem fr. 666 ex Stheneboea esse desumptum Meineke[2] deinde Nauck[3] coniecerunt, praesertim cum Stobaeum in afferendis dramatum nominibus neglegentem fuisse demonstrasse sibi videretur Welcker[4], cum Hippenstiel[5] difficultatem ita solvere conaretur, ut diceret Stobaeum verbis *Εὐριπίδου Βελλεροφόντης* non fabulam significare voluisse, in qua illi versus exstarent, sed potius personam i. e. Bellerophontem, qui illos versus in Stheneboea pronuntiasset. At iam Wilamowitz utramque suspicionem recte reiecit dicens[6]: 'fr. 666 secundum Stobaei codicem Bellerophontis est, cui fidem derogare non audeo', atque equidem hunc virum illustrissimum sequar atque fr. 662 et Stheneboeae et Bellerophonti attribuam et fr. 666 Bellerophonti, nam Stobaei in ceteris locis dicendi et citandi ratio nos cogit putare Stobaeum his lemmatibus tragoediarum nomina afferre. Simplicissima igitur ratio est, si modo non praeoccupatus est animus, et mihi quidem certissima. Qua re exposita his Euripidis fragmentis, de quibus viros doctos opinione quadam praeoccupatos certatim quasi sententias exprompsisse vidimus, novam lucem affudisse, simulque nostrae sententiae Bellerophontem retractationem Stheneboeae esse firmum fundamentum substruxisse nobis videmur, nam omnibus probabile erit poëtam in tragoedia retractanda ex priore totos versus ad verbum transcripsisse[7]. Praeterea autem ex illis fragmentis intellegimus, quam multum ad dramatis Bellerophontis actionem Stheneboea valuerit. Huc accedit, quod etiam fr. 298 verbis *μήτηρ κακή* testatur Stheneboeae partes in Bellero-

1) cf. van de Sande Bakhuyzen l. c. p. 71; attamen concedere debet hic vir doctus Stheneboeae insidiarum fr. 290 mentionem factam esse.

2) Meineke: Zeitschrift für d. Altertumswissensch. 1843, p. 188.

3) Nauck: T G F p. 570.

4) Welcker: Griech. Trag. I p. 68; cf. praeterea O. Kramer: De Pelopis fabula, Halis Saxonum 1886, p. 19.

5) Hippenstiel l. c. p. 43 sq.

6) Wilamowitz l. c. p. 229.

7) cf. quae supra monui p. 65, annot. 1.

phonte fuisse, quoniam illis verbis Stheneboeam intellegendam esse recte docuit Welcker[1]. Attamen, ut omnes dramatis partes inter se aptae colligataeque essent, nullo modo fieri potuit, ut poëta Stheneboeam ipsam in tragoedia agentem faceret, quia tota res in Lycia, ubi Bellerophontis triste fatum accidit, ageretur necesse erat[2]. Atque minime hoc nostrae opinioni repugnat, quam de Stheneboeae retractatione protulimus, nam videtur etiam in Hippolyto velato scaenam non ut in coronifero Troezene sed Athenis fuisse[3]. Restat igitur, ut suspicemur circuitione quadam Stheneboeam in fabula egisse, ita tamen, ut eius fuerint praecipuae partes in actione. Fuit autem haec certe optima Euripidis ars, quoniam poëta in tragoedia retractanda Stheneboeae naturam commutare coactus erat et, ut in Hippolyto coronato Phaedra non ipsa amorem suum fateri vult[4], ita etiam Bellerophontes perfacile et optime ab aliis de Stheneboeae cupiditate amoris certior fieri potuit.

Si in fabula Stheneboea agentem Stheneboeam vidimus, in fabula Bellerophonte Stheneboeam patientem itaque plus misericordiae nostrae et benevolentiae sibi vindicantem Euripides fecisse videtur, talem, qualem etiam Sophocles Phaedram suam finxisse certa quadam ratione concludere possumus[5].

Sed ut videamus, quomodo et quatenus Stheneboea dramatis actioni convenerit, breviter Bellerophontis argumentum, quantum hoc facere possumus in tanta paucitate fragmentorum, exponamus: De hoc bene disputaverunt Welcker[6] et van de Sande Bak-

1) Welcker l. c. I p. 796.

2) Hoc supra iam monui atque huc cf. Wecklein: Sitzberr. d. kgl. bayr. Akad. d. Wissensch. 1888, I. p. 104.

3) cf. Kalkmann: De Hippolytis Euripideis quaestiones novae, Bonnae 1881, p. 26.

4) cf. Kalkmann l. c. p. 27: 'Sed priori Phaedrae non opus erat amorem celare: nam documento sunt Aristophanis Byzantii testimonium in argumento Coroniferi et frg. 433. 436 ultro eam amorem professam omnia pudoris repagula perfregisse'.

5) cf. Wecklein ed. Eur. Hippol.² praef. p. 5. — Fortasse Euripides non solum in Hippolyto coron. (cf. Wecklein l. c. p. 6) sed etiam in Bellerophonte Sophoclis tragoediam, i. e. Jobatem, ad imitandum sibi proposuit.

6) Welcker l. c. II p. 785 sqq.

huyzen [1]), quare equidem plerumque horum sententiis nitor. Fabulae argumentum praebet ex parte Hom. Z 155 sqq. et schol. ABD ad hunc locum et qualem Euripides fabulam docuerit, intellegimus ex scholiastae annotatione ad Arist. pac. v. 147: *ἐκεῖνος* (Euripides) *δρᾶμα ἐποίησε τὸν Βελλεροφόντην, ἐν ᾧ χωλὸν εἰσήγαγεν αὐτὸν διὰ τὸ πεπτωκέναι ἀπὸ τοῦ Πηγάσου βουλόμενον εἰς οὐρανὸν ἀνελθεῖν* et ex Arist. Ach. v. 425 sqq. Unde in aperto est summam rem tragoediae in eo fuisse, ut Bellerophontes in caelum volaret, deinde autem demitteretur, qua re quantopere Athenienses commoverentur satis elucet ex eo, quod ab Aristophane compluribus pacis locis hic Bellerophontis volatus per ludibrium detorquetur [2]). Qua de causa non errare mihi videor, si Hartungii [3]) sententiam reicere audeo Bellerophontem initio dramatis ad caelum advolasse [4]), nam persuasum habeo Euripidem id, quod in tragoedia maximam vim habet, reservasse ad extremam vel certe ad mediam partem dramatis, quod spectatores nulla re magis quam exspectatione eventus erigebantur et suspendebantur. Huc accedunt argumenta, quae Wecklein [5]) affert, ex verbis, quibus Aeliano teste [6]) Bellerophontes animum suum alloquitur:

1) van de Sande Bakhuyzen l. c. p. 69 sqq.

2) cf. Bethe: Prolegomena zur Geschichte des griechischen Theaters, Leipzig 1896, p. 151: „Schon die Tatsache“, inquit, „daß das Auffliegen des Bellerophon spaßhaft nachgeahmt wird, weist vielleicht darauf hin, daß eine solche Szene etwas Neues und Unerhörtes war“.

3) Hartung l. c. I p. 391.

4) Verba schol. ad Arist. pac. v. 147: *ἐπειδὴ ἐκεῖνος δρᾶμα ἐποίησε τὸν Βελλεροφόντην, ἐν ᾧ χωλὸν εἰσήγαγεν αὐτὸν διὰ τὸ πεπτωκέναι ἀπὸ τοῦ Πηγάσου* me quidem iudice non ita intellegenda sunt, ut initio dramatis Bellerophontem claudum in scaenam prodisse putemus, sed scholiasta eam potissimum partem fabulae premit, ubi actio ad summum venit, neque meae opinioni repugnat verbum *εἰσήγαγεν*, utpote quod, ut Suevern in commentatione, quae inscribitur: Über die Absicht und Zeit des Oedipus auf Kolonos, Abhandlg. d. Akad. d. Wissensch. z. Berlin 1828 p. 30, dicit, „immer entweder von der Einführung gewisser Personen auf dem Theater unter ihrem eigenen oder fremden Namen oder von ihrer Erwähnung oder Vorstellung in gewissen Momenten oder mit gewissen Prädikaten gebraucht vorkommt.“

5) Wecklein: Sitzberr. d. kgl. bayr. Akademie d. Wissensch. 1888 I. p. 103 sqq.

6) cf. Aelian. de nat. anim. V, 34.

ἦσθ' εἰς θεοὺς μὲν εὐσεβής, ὅτ' ἦσθ', ἀεὶ
ξένοις τ' ἐπήρκεις οὐδ' ἔκαμνες εἰς φίλους

imprimis autem ex verbis *ὅτ' ἦσθ'* elucere Bellerophontem paene mortuum esse, quoniam etiam Aelianus haec Bellerophontis verba ita interpretatur: *τοιοῦτόν τινα καὶ τὸν Βελλεροφόντην ἡρωικῶς καὶ μεγαλοψύχως εἰς θάνατον παρεσκευασμένον ὁ Εὐριπίδης ὑμνεῖ.* Denique Seneca postquam in epistula 115 illos Bellerophontis versus citavit, in quibus hic auri admirator fautorque exstitit, haec verba facit: ‘Cum hi novissimi versus in tragoedia Euripidis pronuntiati essent, totus populus ad eiciendum et actorem et carmen consurrexit uno impetu, donec Euripides in medium ipse prosilivit petens, ut exspectarent viderentque, quem admirator auri exitum faceret. Dabat in illa fabula poenas Bellerophontes, quas in sua quisque dat’. Qua de Senecae narratione quocumque modo iudicas, utrum hoc revera acciderit necne, — addubitavit enim de hac narratione Hartung [1]), — tamen haec verba confirmant nostram opinionem optime, Bellerophontem in fine dramatis ad caelum advolasse, cum id, quod de dramatis progressu a Seneca dicitur, non in dubium vocandum sit; inest igitur in illis ‘exspectarent, viderentque’ Bellerophontis fatum non initio dramatis accidisse [2]).

Quibus rebus constitutis nos iam quaeramus oportet, quomodo probaverit poëta Bellerophontem ad caelum advolasse; variae enim et discrepantes narrationes huius rei apud diversos auctores exstant: Schol. Il. Z 155 tradit: *ἐπαρθέντα δὲ αὐτὸν ἐφ' οἷς ἔπραξε λέγεται θελῆσαι μετὰ τοῦ Πηγάσου τὸν οὐρανὸν κατοπτεῦσαι*, qua de causa Horatius carm. IV 11, 25 sqq. Bellerophontem una cum Phaethonte commemorat.

1) Hartung l. c. I p. 399 sq.

2) De Bellerophonte errasse Senecam putat Nauck consimili de Ixione narratiuncula comparata ex Plutarcho de aud. poëtis IV p. 19 E. (cf. Senec. ep. mor. ed. Hense ep. 115, 19). Sed hoc quoque Nauckii iudicium fluxit ex opinione praeoccupata, nam mirum mihi videtur, quod Seneca, quippe quem aliis locis Graeci poëtae Euripidis auctoritatem amplexum esse satis constet, cf. Hiller: De Sophoclis Phaedra et de Euripidis Hippolyto priore, in libr. miscellan. philol. Bonn. 1864 p. 34 et Kalkmann l. c. p. 41 ac saepius, hoc loco, ubi ex Bellerophonte versus in Latinum translatos affert eoque demonstrat sibi Euripidis opus notissimum fuisse, Bellerophontem et Ixionem confuderit.

Ad Arist. pac. v. 76 annotat scholiasta: *ἐκεῖνος* (Bellerophontes) *γὰρ διὰ Πηγάσου τοῦ πτερωτοῦ ἐπεθύμει εἰς τὸν οὐρανὸν ἀνελθεῖν.* Verisimilius est has scholiastarum annotationes simillimas ex eodem fonte fluxisse. Posteriores deinde hanc fabulae formam magis illustrantes Bellerophonti speciem quandam astrologi conciliaverunt, ut epigramma Palladae docet, quod exstat A. P. 7, 683:

οὕτω Πήγασος ἵππος ἀπώλησε Βελλεροφόντην
βουληθέντα μαθεῖν ἀστροθέτους κανόνας,

et Lucian. de astrol. 13: *ἄστροισιν ὁμιλέοντα εἰς οὐρανὸν . . . ἀναβῆναι.* Tzetz. Chil. VII 858 hoc refert:

ἤρθη ταῖς νίκαις ὁ ἀνήρ, αἰθέρια ἐφρόνει,

et apud Homerum Z 200 sqq. legimus:

ἀλλ' ὅτε δὴ καὶ κεῖνος ἀπήχθετο πᾶσιν θεοῖσιν.
ἤτοι ὁ κὰπ πεδίον τὸ Ἀλήϊον οἶος ἀλᾶτο
ὃν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων[1]),

ad quos versus scholiasta haec annotat: *οὐχ ὡς οἱ νεώτεροί φασιν μελαγχολήσας, ἀλλ' ὀδυνόμενος ἐπὶ τῇ τῶν ἑαυτοῦ παίδων ἀπωλείᾳ,* praeterea Aristoteles (probl. XXXI, 1) dicit Bellerophontem liberis amissis melancholicum factum esse, quod testatur Galenus (Med. Graec. XIV p. 741 ed. Kuehn). Illam scholiastae ad Homerum annotationem si legimus, nobis quaerendum est, unde scholiasta, quocum ex parte congruit Aristoteles, habeat, quae de liberis amissis referat? Nec nos errare videmur conicientes eum haec ex carmine epico quodam hausisse, quoniam hanc Homero sententiam attribuit; *οἱ νεώτεροι* autem certe sunt intellegendi tragici poëtae[2]). Finxerunt igitur tragici et imprimis Euripides Bellerophontem furentem neque vero furentem liberorum morte. Iam verum quid impedit, ne censeamus Bellerophontis morbum animi ab iteratis Stheneboeae declarationibus amoris et renovatis insidiis profectum esse, ut ille nullius sibi consciens sceleris vitae satietate iam captus et morosus et furens maledicat mulierem sibi invidiosam Stheneboeam et fremat adversus deos?

1) Ad versus 201. 202 Cicero (Tuscul. III, 26) respicit ita eos transvertens:

Qui miser in campis maerens errabat Aleis,
Ipse suum cor edens hominum vestigia vitans.

2) Sunt enim ii, qui hanc materiam tractaverunt, proximi scholiastae temporibus tragici.

Quae ita agi ponunt fr. 662 et 666, de quibus supra egimus (p. 69 sq.), et fr. 287. 288. 294 quibus Bellerophontes de deis disserit, qui res humanas gubernare habentur[1]).

Quodsi haec reputamus et respicimus scholiastae annotationes ad Il. Z 155 et 202, iure opinamur Bellerophontem in caelum advolasse et elatum de victoria, quam de Chimaera reportaverat, et sortem suam aegre ferentem, ut rectissime docuit van de Sande Bakhuyzen[2]).

Hunc Bellerophontis volatum testantur nobis fragmenta 306. 307. 308, ex quibus simul elucet, quanta superbia Bellerophontes fuerit. Sed Juppiter Bellerophontem de insolentia et superbia gravissima poena afficit: Iovis fulmine ictus Bellerophontes de Pegaso decidit et vulneratus in campo Aleio iacet. Propter insolentiam et superba audaciaque verba etiam Aiax in Sophoclis cognomini fabula multatur et in Euripidis Hippolyto pari modo superbia, qua Hippolytus senis consideratas admonitiones reicit, iram deae contemptae, Veneris nimirum, excitari necesse est, denique ut Hippolytus in cognomini dramate poenam debitam subit, ita etiam Bellerophontes gravissime in Bellerophonte punitur[3]). Praeterea id quoque elucet, quod

1) cf. van de Sande Bakhuyzen l.c.pp. 70 et 154; cf. praeterea O. Ribbeck: Reden und Vorträge, Leipzig 1899, p. 163: „An die Existenz von Göttern kann Bellerophon nicht glauben, da er sehen muss, wie Mord und Raub, Eidbruch und schnöde Gewalt siegen über Gottesfurcht und Tugend.“ Nec negari potest, quod dicit Bergk: Griech. Literaturgesch. III p. 472, fortasse hac in fabula, qua vi Protagorae sententiae in Euripide fuerint, nobis occurrere; quin etiam (cf. annot. 24) finem fragmenti 286 ad Diagorae *ἀποπυργίζοντας λόγους* quadrare aliquid probabilitatis habet. Recte praeterea in Bellerophontis fragmentis philosophiae vestigia sibi deprendere visus est Theodorus Gomperz: Griechische Denker vol. I p. 329: Euripidem eam quaestionem, quae est de beatitudine (*εὐδαιμονίᾳ*), in fr. 285 ita solvere conatum esse ut ignobilem, sed divitem et nobilem, sed pauperem et ambobus his bonis carentem inter se luctantes et hunc victoriam reportantem faceret; atque ad haec equidem addam iam in Stheneboea (cf. prol. v. 1) Euripidem fortasse his quaestionibus indulsisse aut eas ibi quasi praeparasse.

2) Van de Sande Bakhuyzen l. c. p. 70.

3) Kalkmann l. c. p. 9 Hippolytum coron. et Trachinias comparans hoc statuit in fine utriusque fabulae heroem vulneratum in scaenam adduci lamentatione ac plangore eam complentem; his iam vides addi posse Bellerophontem, quin etiam maior inter Hippolytum coron. et Bellerophontem similitudo inde cognoscitur.

vix monendum esse duco, Euripidem in hac fabula eo quod Bellerophontem verecundiam deorum tam graviter laedentem fecit, illi legi, quam posuit Aristoteles [1]), non licere tragico poëtae primas partes innocenti attribuere, optime respondisse, nam etiamsi nobis Bellerophontis et Hippolyti culpa haud ita gravis esse videtur, pro veterum sententia uterque dignus certe erat, qui tam graviter puniretur.

Vidimus supra Bellerophontem eis, quae in fragmentis illis in mulierem nefariam et adulteram dicuntur Stheneboeae amorem reppulisse; Stheneboea autem cum haec comperisset Bellerophontem ab Jobate summis honoribus affectum esse et omni culpa liberatum regis filiam in matrimonium duxisse, maximo dolore et invidia inflammata constituit sibi et Bellerophonti mortem afferre [2]), cf. ea, quae Hyginus narrat fab. 57: 'Stheneboea re audita (i. e. Bellerophontem Jobatis filiam in matrimonium duxisse) ipsa se interfecit' et quae ad Aristoph. ran. v. 1043 scholiasta annotat: *ἐλθόντος οὖν ἐκεῖσε Βελλεροφόντου καὶ καθαροῦ φανέντος μὴ φέρουσα τὴν αἰσχύνην ἡ Σθενέβοια κωνείῳ ἐχρήσατο.* Ex his scholiastae verbis satis manifeste elucet Stheneboeam venenum hausisse et confirmatur hoc scholiastae annotatione ad Aristoph. ran. v. 1051: *πολλαὶ γὰρ τὴν Σθενέβοιαν μιμησάμεναι πιοῦσαι κώνειαν ἐτελεύτησαν* [3]), ubi dilucide Euripidis Bellerophontem scholiasta

1) cf. Arist. art. poët. 13 p. 1452b — 1453a.

2) Quod fabulam fictamque rem Jobatem primo Bellerophonti insidias struxisse, deinde ei filiam suam in matrimonium collocasse Bender (Die märchenhaften Bestandteile der homerischen Gedichte, Programm d. Gymn. v. Darmstadt 1878, p. 14) Homeri carminum propriam esse duxit, eo coniecit Jobatem Bellerophonti filiam suam in Bellerophonte non in matrimonium dedisse. Sed equidem hoc etiam Euripidis dramati attribuam, quod omnino mulierum atque praecipue Euripidis mulierum naturae consentaneum est — Euripidis dico, quo quoniam in perspicienda mulierum natura nemo fuit acutior — sollicitudinis suspicionisque amantis causa voluntariam mortem sibi consciscere.

3) Quam vehementer omnibus temporibus poëtarum opera animos affecissent, exposuit Rudolphus Hirzel: Der Selbstmord, Archiv für Religionswissenschaft vol. XI, p. 101 sqq. Omnino mulieres magna animi perturbatione facile afficiuntur. Cuius rei exemplum apud Apollodorum II 2, 2, 5 invenimus, qui narrat Proeti filiarum insaniam ad alias feminas transisse, cf. Meiser: Mythol. Unters. z. Bacchylides, München 1904, p. 11.

in animo habet, ut nostro iure coniciamus, etiam scholiastae annotationem ad v. 1043 sine dubio ad Euripidis Bellerophontem spectare. Haec mea sententia minime refutatur his Nicolai Damasceni verbis (fr. 16, cf. Mueller: FHG III, 367): *Ἀγασθεὶς δ' αὐτοῦ τὸ γενναῖον Ἀμφιάναξ τήν τε θυγατέρα ἔδωκε καὶ βασιλείαν ἔχειν. Μετὰ δὲ ταῦτα Σθενεβοίας ἀπαγξαμένης ἀνάπυστος* [1]) *ὁ ἔρως ἐγένετο καὶ ἡ Βελλεροφόντου δικαιοσύνη.* Illi enim Aristophanis, aequalis Euripidis, ran. vv. 1050 sq.:

ὅτι γενναίας καὶ γενναίων ἀνδρῶν ἀλόχους ἀνέπεισας
κώνεια πιεῖν, αἰσχυνθείσας διὰ τοὺς σοὺς Βελλεροφόντας,

quibus Aristophanes Euripidem ridet, plus probabilitatis praebent, quam illud Nicolai fragmentum. Huc accedit, quod suspendio interimi vel ipsum suspendio vitam finire apud veteres turpe habebatur [2]); hoc igitur mortis genus fabulae retractatae et perpolito Stheneboeae mori minime convenisset, quare Euripides mulierem cicuta morientem fecit, quod novum praeter cetera (cf. p. 72) Euripides huic dramati excogitasse videtur [3]). Atque, quod gravissimum est, Phaedra in Hippolyto coronato laqueo vitam finivit, quoniam autem Bellerophontis fabula eodem fere anno acta est [4]), quo Hippolytus coronatus, Euripidem Stheneboeam, quippe quae in omnibus ceteris rebus ad Phaedrae similitudinem accedat, non eadem ratione pereuntem facere voluisse veri est similius. — Quid autem de altero mortis genere, quod dicitur, iudicandum est, unde hoc fluxit? Cuius rei duae ni fallor rationes iniri possunt aut apud alium quendam poëtam illam narrationem exstitisse, in qua nomen Amphianactis pro Jobatis mentione dignum esset [5]),

1) cf. Suidas s. v. *ἀνάπυστα· ἔκπυστα, δῆλα. Θάνατος Σθενεβοίας ἀνάπυστος ἐγένετο' ἀντὶ τοῦ φανερός· ἀνάπυστον δὲ τὸ ἀνήκοον* schol. Ambros. Hom. λ 274.

2) cf. Hirzel l. c. p. 119.

3) cf. Hirzel l. c. p. 106, annot. 2. Hoc de quo agimus mortis genus tum in Bellerophonte primum in litteris occurrisse vel inde cognoscitur, quod mulierum animos Aristophanis schol. teste (ad ran. v. 1051) tantopere ad imitandum impulit, cf. p. 76.

4) cf. quod de hac re infra p. 86 sq. monebo.

5) Aliud nomen erat Amisodarus, cf. Preller: Gr. Mythol. IV 81, annot. 1.

aut quod mihi quidem magis arridet, posteris temporibus per analogiam quandam Phaedrae notissimam moriendi rationem ad Stheneboeam, quae quidem est huic simillima, delatam esse.

Sed priusquam Stheneboea venenum hausit, haud scio an miserit Megapenthem, filium suum, ut de Bellerophonte supplicium sumeret [1]), hoc nos concludere possumus ex epigrammate Cyziceno, quod Welcker suo iure ad hanc tragoediam rettulit [2]), simulque videmus de Bellerophonte interficiendo Megapenthem cum Jobate coniurasse et eorum consilium caedis a filio Bellerophontis Glauco ad irritum redactum esse. Atque revera hoc ita accidere potuisse, testantur etiam fragmenta 287 sqq., quae tali actioni optime inseri possunt.

His expositis iam intellegimus *totam Stheneboeae fabulae rationem in Bellerophonte conversam esse, cum ibi Bellerophontem innocentem iuvenem spectaremus, Stheneboeam autem mulierem maxime nefariam et impudentem, hic Bellerophontes gravissima poena dignus est et Stheneboea, quamquam non omni culpa vacat, tamen pariter ac Phaedra in Hippolyto coronato praestantiore natura est. In illa fabula certe spectatoribus displicuit Bellerophontem virtutem humanam contemnentem mulierem crudelem in modum in mare praecipitasse, in hac poëta artificiose bonam prioris fabulae rationem et quasi sanitatem restituit, quoniam Bellerophontes ipse easdem fere poenas solvit, quibus antea Stheneboeam affecit* [3]). —

1) Sophoclis Phaedra pudore capta sibi mortem consciscit et ante Hippolytum perit (cf. Wecklein ed. Hipp. coron. praef. p. 6), similiter res sese habet in Euripidis Hippolyto coronato, quocirca pro explorato sumam etiam Stheneboeam venenum hausisse, antequam Bellerophontes superbiam scelestam capite luit.

2) cf. Welcker: Griech. Trag. II, 796 sq.

3) Ad hanc rem animum meum advertit R. Hirzel. — Euripides igitur in his fabulis illum Soph. v. (fr. 877):

εἰ δεῖν' ἔδρασας, δεινὰ καὶ παθεῖν σε δεῖ

secutus est.

Finita his quaestione, quam de ea, quae inter Stheneboeam et Bellerophontem intercedat, ratione instituimus lectori non supervacaneum esse videatur, ut quaeramus, quo scripta vel quo acta sit tempore fabula, de qua agimus.

IV. Quonam anno Euripidis Stheneboea acta sit.

Omnibus adhuc temporibus inter viros doctissimos magna invicem exstabat disceptatio, quibus annis singulae tragicorum Graecorum fabulae doctae essent. Nec mirum! quoniam perpaucarum fabularum didascaliae veterum grammaticorum de hac re nos certiores faciunt, in ceteris subsidiis aliunde petitis operam navare cogimur. Eiusmodi autem quaestiones eo difficilius solvendae sunt, quo quae fabula corruptior temporum invidia servata est, quare his potissimum viri docti multum operae et acuminis tribuerunt; atque in his magnum certe locum tenet Wilamowitz [1]), qui etiam Stheneboeae tempus statuere conaretur. Attamen equidem operae pretium esse duco in eandem rem inquirere, quamquam quoniam ex ipsis fabulae perpaucis fragmentis et ex fabulae argumento nihil certi de illo anno concludi potest, disputationem, quam suscipio, sane difficilem lubricamque esse libenter confiteor. Nimirum dubito, num totam caliginem offusam dispersurus sim, sed propius fortasse, dummodo via ac ratione progrediamur, ad id, quod petimus — propius dico, quam adhuc factum est — nos accedere posse, mihi est persuasum.

Ac primum quidem ad tempus statuendum nitamur necesse est in iis scriptoribus atque poëtis, apud quos plurima fragmenta sunt tradita quique paulum quodammodo illam rem obscuram illustrant. Unde si proficiscimur, nobis subsistendum est apud comicos, Aristophanem et Cratinum. Aristophanes vespis (v. 111 et v. 1074) primum Stheneboeam respicit, deinde

1) Wilamowitz: Analecta Euripidea, Berolini 1875.

compluribus quoque aliis comoediis (pac. v. 124, v. 135, v. 141; Thesmoph. v. 401; ran v. 1217, v. 1250). Cratinus (C. G. F. ed. Mein. II p. 179) ridet Stheneboeae fragmentum 664. His prioribus Aristophanis et Cratini terminus, ante quem fabula sit acta, i. e. a. 422, nobis datus est, quod Aristophanis vespae anno 422 actae sunt et Cratinus, qui anno 423 Lagoenam ultimam fabulam docuit, fortasse intra annos 423 et 421 [1]) — accuratius hoc non traditum est — diem supremum obiit; sed quoniam illos versus, ad quorum similitudinem per parodiam, quae dicitur, suos finxerunt comici, antea in proverbiorum quasi consuetudinem venisse i. e. notos esse opus est, aliquantum temporis ante annum 423 Stheneboeam actam esse iure conicimus [2]). Sed longius procedere nobis licet. Wilamowitz [3]) numerat recte Stheneboeam inter eas fabulas, quas Euripides aut unus aut primus in scaenam duxit, et censet Stheneboeam ante annum 430 doctam esse [4]). Atque hoc putare alia res nos cogit, quam ego, quamvis ipse probarem, ut probo, tamen non commemorarem, nisi apte cognovissem Bethium, virum illustrissimum, hac in re summo studio et acumine ingenii nixum esse. Doctissime enim hic exposuit [5]) in Andromacha, quam intra annos 430—424 actam esse Wilamowitz docuit [6]), aut in Bellerophonte, qui post annum 428 spectatus sit [7]), Euripidem machina illa, qua coram spectatoribus personae in altum efferuntur, primum usum esse, i. e. igitur post annum 430. Quoniam autem supra p. 72 demonstravimus in Bellerophonte hanc machinam summam vim effectum-

1) cf. Christ-Schmid: Gesch. d. griech. Literatur 1908 [5] I, p. 387.

2) cf. Wilamowitz: Analecta Euripidea p. 157.

3) Wilamowitz l. c. p. 176.

4) cf. Dieterich apud Paul.-Wissow. s. v. Euripides, p. 1269.

5) Bethe: Prolegomena p. 143.

6) Wilamowitz l. c. p. 148.

7) cf. Bethe l. c. p. 152. Negat nimirum contra Bethium Robert in Hermae vol. 31, p. 567 Bellerophontem post annum 428 actum esse. Quam ut probet suspicionem, affert locum Arist. Ach. v. 415 sqq., ubi Euripides rustici verba *παλαιοῦ δράματος* et ad alias fabulas et ad Bellerophontem refert: Ex his enim verbis elucere Euripidem ipsum Bellerophontem inter prioris aetatis fabulas numerare; absurdissima autem haec Aristophanis verba esse, si Bethium secuti perpaucos (i. e. duos tantum tresve) annos inter Bellerophontem et Acharnenses, quippe quae comoedia anno 425 docta sit, interponamus. Sed de hac Roberti coniectura mihi

que habuisse, quod haec institutio Atheniensibus novum et inopinatum aliquid fuit, — novum enim hoc artificium esse primoque ab Euripide in usum vocatum facile vel inde potissimum suspiceris, quod Aristophanem non uno loco hoc inventum illudere negari nequit, — et quoniam hac de causa putare cogimur in Stheneboea nondum Bellerophontem hac machina cum Stheneboea coram publico elatum esse, nostro iure conicimus Stheneboeam ante annum 430 actam esse.

Nempe hac in re nobis non acquiescendum est. Si quis Euripidis fabulas diligenter perlegerit, eum non effugiet, quanta inter quasdam exstet similitudo et rerum et oeconomiae. Etenim praecipue illud notissimum et evidentissimum exemplum Iphigeniae Tauricae et Helenae, quis est, quin sciat? Menelaus et Orestes, hic sororem, ille uxorem, quae a deo benigno in terram vel insulam barbaricam ablatae sunt, ut a tristiore sorte servarentur, maximis cum periculis suae ipsius vitae ex barbari regis manibus in patriam reducunt [1]). Persimilis autem his tragoediis est etiam Euripidis Andromedae ratio. Quamquam enim huius dramatis perpauca fragmenta sunt tradita, tamen ex illa Weckleinii [2]) sagacissima tragoediae actionis restauratione videmus etiam in hac fabula ab amore progressum dramatis motum et ad felicem finem perductum esse: Ut ibi frater et maritus sororem et uxorem, ita in hac fabula sponsus puellam carissimam, postquam salutis impedimenta opposita superavit, secum aufert. Jam huius rei ratione habita has fabulas eidem aetati tribuere non improbabile putamus. Quam eandem sententiam, quamquam nonnulli viri

quidem modesta dubitatio movetur. Hic vir doctus ipse comico illo loco licentiam quandam in temporum rationibus tractandis concedit, atque in vocis *παλαιός* vim omnino haud nimium inquirendum esse ex eo manifesto apparet, quod illo Arist. loco Euripides etiam Philoctetam appellat i. e. eandem fabulam in p r i s c i s (i. e. *π α λ α ι ο ῖ ς δράμασιν*) numerat, quamquam haec fabula a. 431 docta est. Quis autem est, qui ut Aristophanes anno 25 verba *παλαιοῦ δράματος* de Philocteta anno 431 spectato dicat concedat, eadem autem verba de Bellerophonte perpaucis annis post Philoctetam acto absurde dicta esse putet?

1) cf. F. Schroeder: De iteratis apud tragicos Graecos in dissertationibus philolog. Argent. sel. vol. IV p. 88 sq. et Wecklein: ed. Eur. Hel. praef. p. 9, qui compluria similis oeconomiae exempla enumerant.

2) Wecklein: Sitzberr. d. kgl. bayr. Akad. 1888, I p. 87 sqq.

*

docti levioribus causis, ut puto, nixi improbaverunt[1]), tamen complures dudum defenderunt[2]) et novis adminiculis substructis firmum fundamentum huic quaestioni posuerunt. Atque secundum horum doctissimorum nostramque sententiam hanc rem decidisse mihi videtur Friedericus Schroeder[3]), qui nimirum prorsus alia via in eandem opinionem pervenit. Sed audiamus ipsum de hac egregie disserentem: 'Etenim in summa sententiarum et personarum condicionum similitudine versus ipsi (vide iterationes XXIX—XL) adeo non concinnunt, ut Euripidem, cum neque in Helena neque in Iphigenia Taurica repetitiones evitaverit, in posteriore tragoedia eam ob causam ab locutione prioris recessisse ponendum sit, quia huius fabulae versus spectatoribus in memoria erant: quod fieri vix potuit, nisi fabulae eodem fere tempore doctae essent'.

Post hanc digressionem, qua quid de eiusmodi similium fabularum tempore sit censendum vidimus, iam ad id, unde aberravimus, revertamur, ut videamus, quid iis quae modo attulerimus ad nostram quaestionem, in qua versamur, de Stheneboeae tempore statuendo solvendam lucremur.

In tertio capite nostrae commentationis docere studuimus Bellerophontem retractationem Stheneboeae iure appellari posse simulque ibi occasione data Stheneboeam cum Hippolytis Euripideis comparantes vidimus inter has fabulas rationem quandam intercedere, quae ad idem internum vinculum oeconomiae naturaeque fabularum atque ad similes personarum mores habitusque spectet. Ad hanc observationem confirmandam non abs re erit exempla rem accuratius illustrantia proferre.

Hippolytus in priore eiusdem nominis fabula et Bellerophontes in fabula Stheneboea, qui iuvenes castitatem omnium virtutum maxime colunt, pari fere modo a mulieribus vel a novercis[4]),

1) cf. Zirndorfer: De chronologia fabularum Euripidearum, Marpurgi 1839, p. 77 sq.; Wilamowitz l. c. p. 153.

2) Wecklein in edd. Hel. et Iph. Taur. praeff.; Heinisch in proleg. ad Eur. Hel., Vratislav. 1823, p. 63; Ribbeck: Reden und Vorträge, p. 168; quibus sane oblocutus est Bartels: Beziehungen zu Athen und seiner Geschichte in den Dramen des Euripides, Programm d. kgl. Joachimsthalschen Gymnasiums zu Berlin 1889, p. 18. 13. 14.

3) F. Schroeder l. c. p. 89.

4) Phaedram Hippolyti novercam fuisse iam ipso mytho constat, sed etiam de Stheneboea, Bellerophontis noverca, aliquo iure cogitari potest,

Phaedra et Stheneboea, quas libidinum infamiaeque neque pudet neque paenitet, ambiuntur et de stupro interpellantur, et cum tam impudentes ira accensi reicerint, calumniis afficiuntur. Ita vehementissimum amoris incendium subito in odium sese convertit, ut ex mulieribus amore contempto furiae fiant, quae iuvenes, quos antea valde amarunt, tam nefarie atque invidiose ulciscuntur[1]). Et quod Nestle[2]) Hippolyti rationem ita paucis constringit: „Die uns erhaltene Bearbeitung des Hippolyt führt uns in dem Helden und der Heldin zwei entgegengesetzte Repräsentanten des Kampfes gegen die Liebe vor: Hippolyt kämpft diesen Kampf innerlich siegreich, obwohl er äusserlich unterliegt. Phädra wird rettungslos von dem mächtigen Gott umstrickt und als der von der Kammerfrau empfohlene verbrecherische Weg nicht zum Ziele führt, bleibt auch ihr kein anderes Ende als der Tod. So fordert die Liebe zwei Opfer,“ pariter hoc in Stheneboea atque in eius retractatione, Bellerophonte, videmus: Ab hac parte in utraque fabula Stheneboea Phaedrae personam gerit et libidinibus scelesti amoris irretita pro hoc mortem occumbit, ab altera parte Bellerophontes, quamquam veri amoris minime sese contemptorem esse ipse confitetur[3]), tamen libidinosas Veneris illecebras reicit atque in fabula cognomini deae contemptionem morte luit.

In Euripidis fabulis Hippolyto et Stheneboea et in Senecae fabula Phaedra maxima est auctoritas nutricum Stheneboeae Phaedraeque. Ut Phaedrae nutrix est auctor[4]) falsae criminationis, quam Phaedra et in Hippolyto priore et in altero

quia Proetus Bellerophontem filii loco assumpsit, cf. Malal. Chron. IV, 83: καὶ τιμῆς με ἠξίωσεν (sc. Προῖτος) υἱοῦ συνεσθίειν αὐτῷ, qui fortasse hac in re Euripidem secutus est; quae cum ita sint, etiam Ribbeck (Reden u. Vorträge, p. 163) Stheneboeam Bellerophontis novercam recte appellat.

1) cf. Invenal. X, vv. 324 sqq.:

Quid profuit immo
Hippolyto grave propositum, quid Bellerophonti?
Erubuit nempe haec ceu fastidita repulsa,
Nec Stheneboea minus quam Cressa excanduit, et se
Concussere ambae. Mulier saevissima tunc est,
Quum stimulos odio pudor admovet.

2) Nestle: Euripides u. s. Zeit, p. 224 sq.

3) cf. prol. v. 25.

4) cf. Wecklein: ed. Hippol. praef. p. 13, annot. 2.

Hippolyto apud Theseum in filium facit, ita de Stheneboeae nutrice Bellerophontes suo iure haec verba dicere potest prol. v. 10:

αἰεὶ γάρ, ἥπερ τῷδε ἐφέστηκεν λόγῳ,
τροφὸς γεραιὰ κτλ.

Tertium momentum accedit, quod in Stheneboea epistula, quod artificium Euripides primus adhibuisse videtur [1]), materiam agendi dedit et in Hippolytis, ubi ad summum totius dramatis ventum est, a muliercula ad epistulam decurritur, qua iuvenis mors efficitur.

Praeter has autem similitudines ad naturam oeconomiamque fabularum tendentes aliae non minus certae luculentaeque reperiuntur, quae artiorem cohaerentiam harum fabularum primo obtutu indicant, singulos dico similes versus sententiasque. Sed cum has enumeramus, nos non in Hippolyto velato et Stheneboea solis versari oportet, sed extra quasi fines terminosque egredi nobis licet. Quodsi Hippolytus coronatus prioris palinodia iure habetur et facile fieri potuit, ut pariter atque hoc in Bellerophonte vidimus ex priore fabula in alteram retractandam totos versus poëta reciperet, ex ipsa rerum natura consequitur, ut etiam Hippolyti coronati singuli versus cum nostris fragmentis conveniant. Porro similiter res sese habet in Senecae Phaedra. Etiam haec cum nostrae fabulae fragmentis comparationem admittit, in qua, quoniam compluribus locis cum Hippolyto velato et ita etiam cum altero Hippolyto congruit, quas quidem similitudines ad compositionem et singulas sententias pertinentes Leone praecedente [2]) congessit Kalkmann, Seneca sine dubitatione totum sese ad imitationem Euripidis contulit [3]), ut non mirum esse videatur, quod etiam inter Stheneboeam et Senecae Phaedram loci haud dissimiles inveniuntur. Denique ut sim diligens, reliquias Sophoclis Phaedrae, quippe quae ad eandem materiam pertineat atque Euripidis Hippolyti, cum Stheneboeae fragmentis comparare non supersedeam, tametsi sententiae diversae abeunt,

1) De eiusmodi epistulis conferas, quae monuit Wecklein in ed. Iph. T. annot. ad v. 584. Recte hic doctissimus vir hoc loco contendit Euripidem n Stheneboea pro σήμασι λυγροῖς, quae Hom. Z 168 commemorat, epistulam ponere debuisse.

2) Leo: L. Annaei Senecae tragoediae, Berolini 1878, I p. 173 sqq.

3) cf. Hiller l. c. p. 34 sq.; Kalkmann l. c. p. 24 sqq.; Wilamowitz: Analecta pp. 154. 209.

utra fabula sit prior Euripidis Hippolytus coronatus an Sophoclis Phaedra [1]).

His igitur praemissis huiusmodi locos similes non raros, quorum nonnullos Wecklein [2]) congessit, ad rem plane perspiciendam hoc loco iam a nobis transscribi necesse est.

His verbis Bellerophontes in Stheneboea prologum exorditur:

οὐκ ἔστιν, ὅστις πάντ' ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ.

Consimili modo tantam indignationem Euripides adversus res humanas fremendo expressit Hipp. coron. v. 981:

οὐκ οἶδ' ὅπως εἴποιμ' ἂν εὐτυχεῖν τινα θνητῶν.

Neque valde abhorret ab his locis Sophocl. Phaedr. fr. 620:

τὸν δ' εὐτυχοῦντα πάντ' ἀριθμήσας βροτῶν
οὐκ ἔστιν οὗτος ὅντιν' εὑρήσεις ἕνα.

Quantum malum femina in mariti domum et in rem publicam inferre possit explicatur Stheneboeae prologi versibus 4. 5:

πολλοὺς δὲ πλούτῳ καὶ γένει γαυρουμένους
γυνὴ κατήσχυν' ἐν δόμοισι νηπία,

easdem fere cogitationes invenimus in Senecae Phaedrae versibus 567 sqq:

sed dux malorum femina, haec scelerum artifex
obsedit animos, huius incestis stupris
fumant tot urbes, bella tot gentes gerunt,
eversa ab imo regna tot populos premunt.
sileantur aliae: sola coniunx Aegei,
Medea, reddet feminas dirum genus.

1) Wilamowitz in Hermae vol. 18 p. 239 et in ed. Hippolyt. p. 57 coniecit, Sophoclis Phaedram post Euripidis Hippolytum actam esse. — Valde doleo, quod Sophoclis Jobatem non in examen vocare possum, quoniam praeter duo perexigua fragmenta (275. 276) nihil servatum est. Videtur autem recte coniecisse Nauck (T G F² p. 194 sq.) ad huius fabulae argumentum pertinere, quae traduntur schol. Il. Z 155. Neque enim veri est simile haec ex Stheneboeae argumento fluxisse, etiamsi prior pars cum Stheneboeae argumento congruit; nam in altera parte de Jobate praecipue eiusque humanitate atque misericordia erga Bellerophontem refertur, quae quidem a Stheneboeae argumento differunt (cf. Welcker: Gr. Trag. I p. 417). Apte igitur conicere mihi videor in hac fabula componenda Sophoclem fortasse concitatum esse Euripidis Stheneboea, quam Sophocles, quoniam in Lycia dramatis scaena agebatur, reprimendo Stheneboeae partes quasi correxit. De fabulae appellatione, quae nobis offensionem quandam movet, quia Bellerophontes primas partes egisse videtur, cf. Welcker: Gr. Tr. I p. 69.

2) Wecklein: ed. Eur. praef. Hipp. p. 11 sqq.

Quare satius esse mulieribus in omnibus rebus diffidere, Euripides nobis persuasit Stheneb. fr. 671:

. . . *πιστεύειν δὲ χρὴ*
γυναικὶ μηδέν, ὅστις εὖ φρονεῖ βροτῶν,

et Hippolyti velati fr. 440, ubi nuntius referens de Hippolyti morte haec verba facit:

Θησεῦ, παραινῶ σοι τὸ λῷστον, εἰ φρονεῖς,
γυναικὶ πείθου μηδὲ τἀληθῆ κλύων.

In Euripidis Hippolyto velato, cum nutrix Phaedram moneret, ne se in tam scelestum amorem filii profunderet, haec pari modo atque in Senecae Phaedra excusatione usa est, neminem amoris violentiae repugnare posse, cf. fr. 430:

ἔχω δὲ τόλμης καὶ θράσους διδάσκαλον
ἐν τοῖς ἀμηχάνοισιν εὐπορώτατον,
Ἔρωτα, πάντων δυσμαχώτατον θεόν,

et fr. 431 [1]):

Ἔρως γὰρ ἄνδρας οὐ μόνους ἐπέρχεται
οὐδ᾽ αὖ γυναῖκας, ἀλλὰ καὶ θεῶν ἄνω
ψυχὰς χαράσσει κἀπὶ πόντον ἔρχεται·
καὶ τόνδ᾽ ἀπείργειν οὐδ᾽ ὁ παγκρατὴς σθένει
Ζεύς, ἀλλ᾽ ὑπείκει καὶ θέλων ἐγκλίνεται.

et fr. 433:

ἔγωγε φημὶ καὶ νόμον γε μὴ σθένειν
ἐν τοῖσι δεινοῖς τῶν ἀναγκαίων πλέον.

Ut in his versibus Phaedra nutrici, ita in Hippolyto coronato nutrix dominae foedum amorem confessae moriendi consilium effatae persuadere conatur amori omnes homines deosque cedere oportere, quoque acrius impugnetur, eo vehementius deum urere.

Similia neque vero in simili rerum nexu occurrere cognoscis in Stheneboeae fr. 663:

ποιητὴν δ᾽ ἄρα
ἔρως διδάσκει κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν.

Omnium horum exemplorum numerum, quamvis locos gravioris tantum momenti attulerimus, in tanta paucitate reliquiarum Stheneboeae non parvum esse vides. Neque quisquam est, quin dicat hanc in simili materia habitam comparationem rem obscuram

1) Hiller l. c. p. 40 hoc fr. Sophocli attribuit.

Stheneboeae temporis definiendi quodammodo illustrare. Etenim iam secundum ea, quae supra de Helenae, Iphigeniae Tauricae, Andromedae temporibus enucleavimus, conicere licet etiam Stheneboeam et Hippolytum velatum eidem fere aetati tribuendos esse.

Huc accedit, quod nostrae coniecturae ab altera quoque parte aliquid luminis affunditur. Si enim ea ratione, qua Schroeder [1]) tragicorum opera consideravit, fragmenta similia, de quibus modo egimus, perspicimus, nos non fugere potest in eis versibus, quos nimirum similes et in Stheneboea et in Hippolyto invenimus, tamen poëtam veritum ne offenderet anxie evitasse eisdem verbis et eodem verborum conexu uti. His rebus respectis fabulas eadem fere aetate doctas esse iam inter explorata referre licet.

Iam vero Hippolyti velati tempus accuratius constituere possumus. Admodum enim probabiliter Wilamowitz [2]) exposuit Aegeum, Theseum, Hippolytum velatum per trilogiam quasi i. e. illis tribus votis, quae Poseidon Theseo concedebat [3]), coniunctos fuisse atque ea ratione, ut in Theseo hic ex labyrintho et in Aegeo ab inferis liberaretur et in Hippolyto hic moreretur. Praeterea ille vir doctissimus collegit, quoniam in Euripidis Medea Aegeus et Medea sibi noti essent, hanc necessitudinem, nisi antea Atheniensibus nota fuisset, in hac tragoedia non exstare debuisse; verum vidisse Athenienses Medeam et Aegeum coniunctos in Aegeo, quam fabulam hanc ob causam ante Medeam actam esse. Atque probem hanc Wilamowitzii suspicionem, tamen eo modo, ut coniciam Aegeum una cum Hippolyto haud ita multo antea doctum esse, quoad illius fabulae memoria recentissima erat. Atque sic Hippolyti velati tempus statuendi nobis necessitatem imponit alia quoque res. Hippolyti enim artissime coniuncti sunt cum Medea Euripidis neque difficile est intellectu, quonam vinculo contineantur id quod tam acute argute que dicendo expressit Ivo Bruns [4]): „In beiden (sc. in Medea et in Hippolyto) werden die verhängnisvollen Folgen schranken-

1) Schroeder: De iteratis apud tragicos Graecos.
2) Wilamowitz in Hermae vol. 15 p. 483 et ed. Hipp. p. 42 sqq.
3) cf. Hipp. cor. v. 46.
4) Ivo Bruns: Reden u. Vorträge p. 167; cf. etiam Bergk: Griech. Literaturgesch. III p. 527.

loser Leidenschaft zum Ausdruck gebracht". Atque verisimile est eas fabulas, in quibus Euripides mulierum libidinem atque intemperantiam depinxit, etiam haud magno intervallo temporum disiunctas esse [1]). Sunt autem hae: Stheneboea eiusque retractatio Bellerophontes; Hippolytus velatus eiusque palinodia Hippolytus coronatus; Medea; Hecuba; Canace [2]), ad quas potissimum fabulas referenda sunt Ps.-Longini verba (de subl. 15): *ἔστι μὲν οὖν φιλοπονώτατος ὁ Εὐριπίδης δύο ταυτὶ πάθη, μανίας τε καὶ ἔρωτας, ἐκτραγῳδῆσαι κἀν τούτοις ὡς οὐκ οἶδ' εἴ τις ἕτερος ἐπιτυχέστατος.*

Modo exposuimus internum quoddam vinculum in tragoediis Stheneboea et Medea exstare. Ostenditur autem signis quibusdam ac notis Stheneboeae fabulae structuram haud absimilem fuisse Medeae: Euripidis enim prologos nobis perquirentibus occurrit Medeae et Stheneboeae prologos a ceteris Euripideis prorsus discrepare, huius autem prologi structuram persimilem esse illius. Hoc optime exposuit Fr. Leo [3]), cuius verba ad rem melius perspiciendam huc transcribere non desistam: „Während aber", inquit, „in allen diesen Prologen (sc. Philoctetae, Heraclidarum, Alcestidis, Telephi, Oenei) nach dem Eingang die nur dem Zweck dienende Erzählung einsetzt, redet Bellerophon weiter in einer Art, die diesen Prolog dem der Medea zunächst stellt. Er fängt nicht von vorne an, weder von seinen Vorfahren noch von seinen Schicksalen, sondern verweilt bei dem gegenwärtigen Erlebnis, das seinen Sinn beschäftigt und ihm unmittelbare Gefahr droht, denn noch jetzt umgarnen ihn die Ueberredungskünste der alten Kupplerin. Erst wo er sich die Pflicht und den gefassten Entschluss noch einmal vor Augen führt (18 ff.), kommt er von selbst auf die Erinnerung seiner Tat, Flucht und Sühnung. So erfährt der Zuhörer durch die im Ethos ohne Zwang und Absicht geführte Rede, was für das Verständnis der Handlung erforderlich ist. Der Unterschied vom Prolog der Medea liegt im Grunde nur darin, dass dieser im Ethos gesprochen wird. Aber wie die alte Dienerin durch ihre Empfindung hinausgetrieben wird, so hat Bellerophon aus äusseren Gründen allen Anlass, die Einsamkeit für seine Betrachtungen aufzusuchen." Nonne haec conspicua prologorum similitudo nostram opinionem, quam de Stheneboea paulo ante annum 431 acta protulimus, probabiliorem reddit?

1) cf. Christ-Schmid l. c. I p. 342, annot. 6.

2) Praeter Phaedram et Stheneboeam Bergk l. c. vol. III p. 572 etiam Canacen commemorat, quam quidem optime cum Phaedra etiam Ovidius trist. II, 383 componit; de Canace cf. praeterea Welcker: Griech. Trag. II p. 861. Terminus, ante quem fabula acta est, annus 421 habetur, cf. schol. ad Arist. pac. vv. 114. 119.

3) Fr. Leo: Der Monolog im Drama (Abhandl. d. kgl. Gesellsch. d. Wissenschaften zu Göttingen, phil.-hist. Cl. X, 1908 p. 20).

Universam igitur cum ante oculos nobis ponimus hanc non fallacem observationem, haud parvam mihi movet dubitationem Wilamowitzii sententia [1]) Stheneboeam ab Euripide adulescentulo doctam esse, atque causas, quas vir doctissimus ad sententiam suam confirmandam attulit, non magni esse ponderis statim videbimus. Invenimus enim etiam in aliis post annum 430 doctis dramatis haud parva ab Euripide novata esse, commemoro tantum Andromacham vel Bellerophontem, quibus in fabulis quid Euripides novavisset probabiliter docuit Bethe [2]), et quod attinet ad temporis unitatem in Stheneboea nimis laesam supra iam, quid censendum esset, satis superque edocuisse mihi videor. Hac in re cum, quod Wilamowitzium impugnem, habuerim, tamen haec acutissima eius conclusio mihi probanda est: Stheneboeam aetate omnes illas tragoedias antecedere, in quibus deus ex machina iudicium de rebus gestis ferat, quoniam in hac fabula Bellerophontes ipse dei ex machina loco in scaenam prodisse videatur, quod instituisse non ante annum 430 Euripidem Wilamowitz ipse docuit [3]), ut eius quoque rei ratione habita tamen Stheneboeam paulum ante annum 431 actam esse persuasum habeam.

In tempore autem fabularum statuendo viri docti non ea sola artificia, quibus modo ipsi usi sumus, adhibuerunt, sed quoniam constat Euripidem praeceptorem civium suorum in fabulis suis eos ad virtutem et sapientiam instituisse simulque gravissima quaeque, quae ad eam, quae ipsius Euripidis tem-

1) Wilamowitz: Class. phil. p. 230.

2) Bethe: Prolegomena p. 140 sq., p. 151 sq.

3) Wilamowitz: Analecta p. 180.

poribus fuerit, rei publicae condicionem spectaverint, ab eo tractata esse sub imagine temporum fabulosorum, his sane lubricis rebus indagandis viri docti paene nimia diligentia operam navaverunt, in quibus primus et sagacissimus numerandus est A. Boeckh [1]). Quod si nobiscum reputamus non mirum esse facile iudicabis etiam in Stheneboea a consuetudine Euripidem non descivisse viros doctos putasse. Atque coniecit revera Hartung [2]) haec: 'Praeter has, quas dixi, fabulas primae didascaliae (ol. 81, 1) assignare lubet Stheneboeam, quam et priorem Bellerophonte et antiquissimarum fabularum numero fuisse conicio. Tum quod Corinthii regis inconstantia atque perfidia argueretur, illis rei publicae temporibus accomodata fuisse videtur'.

Si hanc coniecturam spectas, vides quam lubrica sit, quocirca equidem huic nihil superstruam [3]). Reicitur insuper iis indiciis, quibus supra evicimus fabulam haud ita multo ante bellum Peloponnesiacum doctam esse. Atque si tamen talibus suspicionibus, qualibus quidam doctissimi viri nimis studere solebant, aliquid tribuere vis, concedes totam fabulae rationem magis ad initium belli Peloponnesiaci et annum quidem 432 spectare: Postquam Corinthii anno 432 Potidaeam occupaverunt et Athenienses eadem ratione foedus frangentes Megarensibus cum Corinthiis foederatis commercia prohibuerunt, conventus omnium Peloponnesiorum [4]), ubi Corinthii de Atheniensibus questi sunt, cum illis contra hos sensit atque hanc extremam condicionem tulit, ut Athenienses dominatione (ἀρχῇ), in quam principatum Cimone auctore mutassent, desisterent. In his asperitatibus rerum et angustiis temporis, cum in tota Graecia belli suspicio esset, multi necessario exstiterunt, qui, ut rem publicam in meliorem statum converterent et pacem servarent, omni modo a bello cum Lacedaemoniis

1) A. Boeckh: Graecae tragoediae principum Aeschyli, Sophoclis, Euripidis, num ea, quae supersunt, et genuina omnia sint, et forma primitiva servata, an eorum familiis aliquid debeat ex iis tribui, Heidelbergae 1808, p. 175.

2) Hartung: Eur. rest. I p. 60 sq.

3) cf. Bartels l. c. p. 20 et quae quibusdam locis monuit R. Haupt: Die äussere Politik des Euripides, Programm v. Ploen 1877.

4) cf. Thucyd. I, 119.

dehortati sunt [1]). His Euripides Stheneboeam opponere potuit, in qua, ut iustum odium in Corinthios proditores conflaret, perfidiam Proeti, Corinthi regis, Atheniensibus ante oculos poneret. Sed his omnibus nimis incertis pondus tribuam nullum, quae omnino non commemorassem nisi Hartungii suspicione adductus.

1) cf. R. Poehlmann: Grundriss d. griechischen Geschichte, München 1906³, p. 136 sqq.

VITA.

Natus sum Guilelmus Sellner Gestungshausensis a. d. IV Non. Mai. anni MDCCCLXXXV in vico Franco prope Regiomontum sito, cui nomen est Doerflis, patre Albino, verbi divini ministro, matre Frieda e gente Goetz, quibus carissimis adhuc viventibus ut aliquantulum gratiae reddere possim, deus faxit optumus maxumus. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis primum in vico, cui nomen est Gestungshausen, deinde Coburgi imbutus a parentibus meis ad progymnasium regium Bavariae nomine Windsbach missus sum. Ibi usque ad annum MCM commoratus ad gymnasium Casimirianum Coburgense migravi. Cui litterarum humanitatisque sedi vetustatis sanctitate commendatae quid debeam, gratissimo animo semper confitebor. Maturitatis testimonium vere anni h. s. VI rectore Henrico Beck adeptus primum almam litterarum sedem Monacensem adii per duo semestria studiis philologicis et historicis operam navaturus. Deinde in universitate Lipsiensi per bis sex menses iisdem studiis incubui, quae ut denique ad finem perducerem, Jenam me contuli.

Docuerunt me hi viri illustrissimi: Crusius, Drerup, J. de Mueller, Poehlmann, Rehm, Vollmer, Weymann Monacenses; Bethe, Brandenburg, Brugmann,

Gardthausen, R. Heinze, Lipsius, Martini, O. Schulz Wilcken, Zarncke Lipsienses; Cartellieri, Diehl, Eucken, Goetz, Graef, Hirzel, Judeich, Michels, Rein, Stoy, Thuemmel, Weber, Weinel, Wilhelm Jenenses.

Et Lipsiae et Jenae exercitationibus proseminarii philologici interfui. Eximia benignitate Georgii Goetz et Rudolphi Hirzel in seminarium philologicum receptus sum, cuius per duo semestria fui sodalis ordinarius, per unum subsenior. Nec non ad historicum seminarium et quod floret regimine Judeichi et quod moderatur Cartellieri hi viri docti benigne aditum mihi patefecerunt.

Quibus viris, qui benevolentia me sibi devinxerunt, cum omnibus tum Erico Bethe, qui ad hanc dissertationem componendam me incitavit, et Rudolpho Hirzel, qui huius opusculi studiorumque meorum benevolentissimus exstitit fautor adiutorque, gratiam habeo quam maximam semperque habebo animo pio.